

electorum, per hoc quod membra ejus figurata sunt, nihil obstat, si etiam in his nominibus animalium & ipse signetur. Ipse enim unigenitus Dei filius veraciter factus est homo. Ipse in sacrificio nostræ redemptionis dignatus est mori ut vitulus. Ipse per virtutem suæ fortitudinis resurrexit ut leo. Leo verò apertis oculis dormire perhibetur. Quia in ipsa morte in qua ex humanitate Redemptor noster dormire potuit, ex divinitate sua immortalis permanendo vigilavit. Ipse etiam post resurrectionem suam ascendens in cælos, in superioribus elevatur, ut aquila. Totum ergo nobis simul est; & nascendo homo, & moriendo vitulus, & resurgendo leo, & ad cælos ascendendo aquila factus est. Sed quia per hæc animalia Evangelistas quatuor, & sub eorum specie simul perfectos homines jam superius significari diximus; restat ut, quomodo unusquisque electorum in istis animalium visionibus exprimitur, ostendamus. Omnis etenim electus, atque in via Domini perfectus, & homo & vitulus & leo simul & aquila est. Homo enim rationale est animal; vitulus autem in sacrificio mactari solet: leo verò fortis est bestia, sicut scriptum est: *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum.* Aquila ad sublimia evolat & inreverberatis oculis Solis radiis intendit. Omnis itaque qui in ratione perfectus est, homo est. Et quoniam semetipsum ab hujus mundi voluptate mortificat, vitulus est. Quia verò ipsa sua voluntaria mortificatione contra adversa omnia fortitudinem securitatis habet, leo est. Unde scriptum est: *Justus autem quasi leo confidens absque terrore erit.* Certissimè iste talis leo est. Quia verò subtiliter contemplatur ea quæ cælestia, & quæ terrena sunt, aquila est. Igitur quoniam justus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis suæ vitulus, per for-

Prov. 30.
v. 30.

Prov. 28.
v. 1.

fortitudinem securitatis leo, per contemplationem verò efficitur aquila; rectè per hæc sancta animalia signari unusquisque perfectus potest. Quod idcirco dicimus, ut ea quæ de quatuor animalibus dicta sunt, pertinere quoque ad perfectorum singulos demonstramus. Sed grandis nobis de eisdem Evangelistis & sanctis prædicatoribus quæstio oritur, cur homo & leo à dextris ipsorum quatuor haberi perhibetur? Neque enim sine admiratione est, cur duo illa à dextris, & unum hoc esse à sinistris, dicitur. Et rursum quærendum, cur aquila non à dextris vel sinistris, sed super ipsorum quatuor esse memoratur? Duas itaque quæstiones nobis objecimus, quas oportet ut aperiente Domino dissolvamus. Homo igitur & leo à dextris, vitulus verò à sinistris esse perhibetur: à dextris etenim lætitiā, à sinistris verò tristitiā habemus. Unde & sinistrum nobis esse dicimus, hoc quod adversum esse putamus. Et, sicut præfati sumus, per hominem incarnatio, per vitulum passio, per leonem verò auctoris nostri resurrectio designatur. De incarnatione autem unigeniti Filii qua redempti sumus, omnes electi lætati sunt. De morte verò illius ipsi electorum primi, Sancti Apostoli contristati sunt. Qui iterum de ejus resurrectione gavisī sunt. Quia ejus ergo & nativitas & resurrectio, lætitiā discipulis præbuit, quos ejus passio contristavit; homo & leo à dextris, vitulus verò à sinistris ejus fuisse describitur. Ipsi namque Evangelistæ Sancti de ejus humanitate gavisī sunt, de ejus resurrectione confirmati, qui de ejus passione fuerant contristati. Homo ergo & leo à dextris est, quia Redemptoris nostri eos incarnatio vivificavit, resurrectio confirmavit. Sed vitulus à sinistris, quia mors illius eos ad momentum temporis in infidelitate prostravit. Jure autem aquila

aquilæ locus non juxta, sed desuper esse describitur: quia per hoc quod ejus ascensionem signat, seu quia verbum Patris Deum apud Patrem esse denuntiat; super Evangelistas ceteros Joannes virtute contemplationis excrevit, cum quibus & simul de ejus divinitate loquitur, attamen omnibus subtilius contemplatur. Sed si, aquila cum tribus animalibus adjuncta, quatuor animalia esse memorantur; mirum quomodo desuper ipsorum quatuor esse describitur. Nisi quia Joannes per hoc quod in principio Verbum vidit, etiam super semetipsum transiit. Nam si non transisset, Verbum in principio non vidisset. Qui ergo & semetipsum transgressus est, non jam solummodo super tria, sed, adjuncto & se, super quatuor fuit.

Sequitur: *Et facies eorum, & pennæ eorum extentæ desuper.* Facies & pennæ extentæ desuper scribuntur, quia omnis intentio omnisque contemplatio Sanctorum super se tendit, ut illud possit adipisci quod in cælestibus appetit. Sive enim bono operi, seu verò invigilet contemplationi, tunc veraciter hoc quod agit bonum est, quando ei placere concupiscit, à quo est. Nam qui bona agere videtur, & per hæc non Deo, sed hominibus placere desiderat, intentionis suæ faciem deorsum ponit. Et quando in sacro eloquio ea quæ divinitatis sunt contemplatur, ut per hoc quod intelligit, occupari ad quæstiones possit; quia non de dulcedine beatitudinis satiari appetit, sed doctus videri; iste sine dubio intellectus sui pennas desuper non extendit. Sed quoniam sensus sui vigiliantiam in terreno appetitu occupat, pennas quas sublevare in altum, & quibus sublevari ipse potuit, multum deponit. Qua in re pensandum nobis est, ut omne bonum quod agitur, per intentionem semper ad
cæ-

caelestia levetur. Qui enim per bona quæ facit, terrenam gloriam concupiscit, pennas suas, & faciem, deorsum deprimit. Hinc enim per Prophetam de quibusdam dicitur : *Victimas in profundo deferabant*. Quid enim sunt aliud lacrymæ orationis, nisi victimæ orationis nostræ, sicut scriptum est : *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*? Et sunt nonnulli, qui propterea se in prece lamentis afficiunt, ut aut terrena lucra acquirant, aut hominibus sancti esse videantur. Quid isti nisi victimas in profundo deferunt? Qui per hoc quod in terreno amore sunt quæ requirunt, orationis suæ sacrificium deorsum ponunt. Electi autem, quia & in bono opere Omnipotenti Deo placere appetunt, & per contemplationis gratiam æternam jam beatitudinem degustare concupiscunt; facies & pennas desuper extendunt.

Sequitur : *Duæ pennæ singulorum jungebantur, & duæ tegebant corpora eorum*. Dictum fuerat, *facies & pennæ eorum extentæ desuper*, atque mox subiectum est hoc quod diximus, quia *duæ pennæ singulorum jungebantur* : ubi aperte intelligitur, quia extendebantur desuper & jungebantur duæ, duæ verò tegebant corpora eorum. Quid autem pennæ animalium, nisi alæ nominantur? Qua in re nobis diligenti præscrutatione quærendum est, quæ sunt quatuor pennæ Sanctorum, ex quibus duæ extentæ junguntur : duæ verò eorum corpora tegunt? Si enim vigilanter aspicimus, quatuor esse virtutes invenimus, quæ à terrenis actibus hominem pennatum animal levant in futuris, videlicet amor, & spes : de præteritis autem timor, & poenitentia. Pennæ ergo sibimet junctæ superius extenduntur, quia Sanctorum mentes amor & spes ad superna elevant. Quæ aptè quoque conjunctæ nominantur, quia electi, sine dubio, & amant

Osee 5.
v. 2.

Psal. 50.
v. 19.

amant cælestia quæ sperant, & sperant quæ amant. Duæ verò corpora tegunt, quia timor & pœnitentia ab omnipotentis Dei oculis, eorum mala præterita abscondunt. Duæ itaque, ut dictum est, pennæ junguntur sursum, quando amor & spes electorum corda ad superiora elevant, & ad cælestia suspendunt: duæ autem pennæ tegunt corpora, quando eorum mala præterita à conspectu æterni judicis timor & pœnitentia abscondunt. In eo enim quod se peccasse meminerunt, quia pertimescunt & deflent; quid aliud quam corpus cooperiunt, qui facta carnalia per superducta bona opera adstricto examine abscondunt? Scriptum quippe est: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Peccata enim tegimus, cum malis actibus bona facta superponimus. Omne enim quod operitur, inferius ponitur, & hoc unde operitur desuper ducitur. Quando enim abnegamus mala quæ fecimus, & eligimus bona quæ faciamus, quasi cooperimentum ei rei superducimus, quam erubescimus videri. Quantumlibet enim sancti viri in hac vita sunt, habent tamen quod ante Dei oculos operire debeant, quòd omnino est impossibile, ut aut in opere, aut in locutione numquam delinquant. Unde & Beatus Job, qui perfecta quidem omnium dixerat, Dei tamen vocem audiens, seque se ipsum de ipsa sua imperfecta locutione reprehendens, dicebat: *Manum meam ponam super os meum.* In manu quippe operatio, in ore locutio est. Manum ergo super os ponere, est peccata locutionis per virtutem boni operis tegere. Libet fratres carissimi ad hujus rei testimonium magistrum gentium Paulum vocare, qualiter Sanctum illud animal alis quatuor innitatur aspicere: ex quibus, duabus ad superiora per-

Psal. 31.

*Job 39.
v. 34.*

volat ; duabus verò pennis corpus contegit , quia præterita quæ egerat abscondit. Videamus igitur quantus hunc amor ad cælestia elevat , cum dicit : *Mibi vi-*
vere Christus est , & mori lucrum. Cognoscamus
Cap. 3. quanta spe ad superiora attollitur , cum dicit : *Nos-*
v. 20. *tra conversatio in cælis est , unde etiam Salvatorem*
expectamus Dominum nostrum Jesum Christum. Vi-
deamus , si & in tantis virtutibus positus adhuc ti-
met : Castigo , inquit , corpus meum , & servituti sub-
v. 27. *jicio , ne forte cum aliis prædicaverim , ipse repro-*
bus efficiar. Cognoscamus , si hunc mala fecisse pœ-
nitet : Ego sum minimus omnium Apostolorum , qui
Cap. 15. *non sum dignus vocari Apostolus , quia persecutus*
v. 9. *sum Ecclesiam Dei.* In quibus verbis quid aliud quam
duritia nostræ mentis accusatur ? Quia ipse plangit
quod ante baptismum commiserat : nos verò & post
baptisma multa mala commisimus , & tamen flere re-
cusamus. Quatuor itaque pennis sancta animalia utun-
tur , quia & per amorem , & spem ad cælestia evo-
lant , & per timorem & pœnitentiam facta in se in-
licita deplorant. Sed quia dictum est : *Duæ pennæ*
singulorum jungebantur , hoc fortasse intelligitur ,
quod non pennas proprias evolantes jungant , sed
unius ad alterum penna conjuncta sit , ut pennæ vi-
delicet elevatæ vicissim sibi in conjunctione concor-
dent. Qua in re quæstio oritur , qua si duæ pennæ
quæ levantur , amorem & spem , duæ verò quæ corpo-
ra tegunt , timorem & pœnitentiam designant ; cur
duæ quæ extentæ sunt , dicuntur conjunctæ esse , &
duæ quæ corpus tegunt , non dicuntur ? Sed hac in
re facilis , Deo largiente , ratio occurrit : quòd Sanc-
torum pennæ conjunctæ , sunt amor & spes ; duæ ve-
rò pennæ , quæ corpora tegunt , sibimetipsis ad al-
te-

terum non conjunctæ, sunt timor & pœnitentia. David enim pro lapsu criminis, timendo & pœnitendo & affligendo pœnituit: Petrus casum perfidiæ flevit amarè: Paulus in se crudelitatem præteritæ persecutionis planxit. Omnes tamen unam patriam appetunt, & ad unum auctorem omnium pervenire festinant. Duæ ergo singulorum pennæ conjunctæ sunt, & duæ non sunt: quia per amorem & spem unum est quod considerant, sed per timorem & pœnitentiam diversum est quod deplorant.

Sequitur: *Et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat.* Dictum superius fuerat, *unumquodque eorum ante faciem suam gradiebatur*: nunc autem dicitur, *coram facie sua ambulabat.* Ipsa itaque repetita videtur esse sententia. Sed quia *coram* in præsentī dicimus, possumus subtilius inquirendo discernere quid aliud sit ante faciem ambulare, atque aliud in præsentī. Ante faciem quippe ambulare est anteriora petere: in præsentī verò ambulare est sibimetipsi absentem non esse. Omnis etenim justus, qui vitam suam sollicitus aspicit, & diligenter considerat quantum quotidie in bonis crescat, aut fortasse quantum à bonis decrescat; iste qui se ante se ponit, coram se ambulat: quippe qui vigilanter videt utrum surgat, an defluat. Quisquis ergo vitæ suæ custodiam negligit, discutere quæ agit, quæ loquitur, quæ cogitat, aut despicit, aut nescit; coram se iste non ambulat, quia qualis sit in suis moribus vel actibus ignorat. Nec sibimetipsi præsens est, qui semetipsum quotidie exquirere atque cognoscere sollicitus non est. Ille autem veraciter se ante se ponit, sibi in præsentī est, qui se in suis actibus tamquam alium adtendit. Nam sunt multa peccata quæ committimus, sed

sed idcirco nobis gravia non videntur, quia privato nos amore diligentes clausis nobis oculis in nostra deceptione blandimur. Unde fit plerumque, ut & nostra gravia mala leviter, & proximorum mala leviter graviter judicemus. Scriptum quippe est: *Erunt homines se ipsos amantes.* Et scimus, quia vehementer claudit oculum cordis amor privatus. Ex quo fit, ut hoc quod nos agimus, & grave esse non existimamus, plerumque agatur à proximo, & nimis nobis detestabile esse videatur. Sed quare hoc quod in nobis, vile videtur, & nobis grave videtur in proximo, nisi quia nec nos sicut proximum, nec proximum conspiciamus sicut nos? Si enim nos sicut proximum aspiceremus, nostra reprehensibilia districtè videremus: & rursum, si proximum aspiceremus ut nos, numquam nobis ejus actio appareret intolerabilis, qui sæpe fortasse talia egimus & nihil nobis proximo intolerabile fecisse putamus. Hoc male divisum mentis nostræ judicium corrigere per legis præceptum Moyses studuit, cum dixit: *Ut justus deberet esse modius, æquusque sextarius.* Hinc Salomon ait: *Pondus & pondus, mensura & mensura: utrumque abominabile est apud Deum.* Scimus quia in negotiatorum duplici pondere aliud majus, aliud minus est: nam aliud pondus habent ad quod adpensant sibi, aliud pondus ad quod adpensant proximo. Ad dandum, pondera leviora; ad accipiendum verò gravia præparant. Omnis itaque homo qui aliter pensat ea quæ proximo, & aliter quæ sua sunt, pondus & pondus habet. Utrumque ergo abominabile est apud Deum. Quia si sic proximum ut se diligeret, hunc in bonis sicut se amaret. Et si sic proximum sicut se aspiceret, se in malis sicut proximum judicaret. Debemus ergo nos metipsos solici-

tè videre, nosque ipsos, ut dictum est, ante nos ponere: ut, pennata animalia incesanter imitantes, sciamus quid agimus, coram facie nostra semper ambulemus. Perversi autem, sicut paulò ante jam diximus, coram facie sua non ambulant, quia ea quæ agunt numquam considerant. Ad interitum tendunt: pravis actibus exultant: de quibus scriptum est: *Qui letantur cum malefecerint: & exultant in rebus pessimis.* Prov. 2. v. 14. Sæpe verò justus, qui eos conspicit, deflet: sed ipsi freneticorum more planguntur, & rident. Alii indigentibus de rebus propriis multa largiuntur: sed cum occasionis tempus invenerint, indigentes opprimunt, eosque quibus valuerunt rapinis devastant. Ponunt ante cogitationis suæ oculos bona quæ faciunt, & non ponunt pessima quæ committunt. Hi videlicet coram facie sua non ambulant: quia si sibimetipsis præsentessent, cuncta subtiliter quæ agunt viderent, & qualiter bona opera malis actibus perdant, agnoscerent. Sicut scriptum est: *Et qui mercedes congregavit, misit eas in sacco pertuso.* De pertuso quippe sacco aliunde exiit, quod aliunde mittitur. Quia indiscretæ mentes merces quæ ex bono opere acquiruntur, non aspiiciunt quomodo ex malo opere perdantur. Alius castitatem corporis servat, seque vigilanter circumspicit, ne quid foris reprehensibiliter admittat: suis contentus est, aliena non diripit; sed tamen in corde odium fortasse contra proximum servat. Et cum scriptum sit: *Qui odit fratrem suum, homicida est,* considerat quam sit mundus in opere, & non perpendit quam sit crudelis in mente. Quid iste, nisi sibimetipsi sapiens est, quia in cordis sui tenebras ambulat, & ignorat? Alius jam aliena non diripit, jam corpus ab immunditia custodit, jam mente pura proximum diligit, & malorum

Aggæi 1. v. 6.

1. Joann. 3. v. 15.

præteritorum conscius vehementissime se in precibus affligit, sed finita prece de quibus in hoc mundo gaudet requirit, & temporalibus gaudiis negligenter animum dimittit, nec curat ne in eo lacrymarum mensuram immoderata gaudia transeant: fitque ut bonum nimis ridendo perdat, quod plangendo lucratus est. Hic itaque coram facie sua non ambulat, quia damna quæ

Eccles. 7.
v. 5. patitur, conspiciere recusat. Scriptum quippe est: *Cor sapientium, ubi tristitia est, & cor stultorum, ubi lætitia.* In cunctis ergo quæ agimus, diligenter nosmetipsos conspiciere interius & exterius debemus; ut, pennata animalia sequentes, nobismetipsis præsentessimus, & coram facie nostra semper ambulemus. Quid est ergo quod post se Propheta vocem audit commotionis magnæ, nisi quod post sermonem prædicationis qui facit à corde peccatum labi, lamenta pœnitentium sequuntur? Perversi etenim qui dum pravè agunt, & à justis recta non audiunt, nesciunt quam sint gravia quæ committunt, atque ex sua ignorantia in suo stupore securi sunt, & jacentes in culpis quasi moliter quiescunt. Sicut de quodam peccatore & securo populo dicitur: *Requievit in fœcibus suis*, quia securus jacuit in peccatis. Cum verò audire perversi verbum prædicationis cœperint, quæ sint supplicia æterna cognoscere, qui terror judicii, quàm subtilis examinatio de singulis quibusque peccatis; illico contremiscunt, implentur gemitibus, & non se capientes suspiriis afficiuntur: atque magno pavore concussi, in luctus & fletus erumpunt. Prophetam vox magnæ commotionis sequitur, quia post verbum prædicationis conversorum atque pœnitentium luctus audiuntur: qui enim prius quieti jacebant in vulnere, tacti postmodum manu medicinæ cum dolore redeunt ad salutem. De hac commo-

tio-

tione pœnitentium per Prophetam alium dicitur : *Pedes ejus steterunt , & mota est terra.* Quia cum veritatis vestigia in mente audientium figuntur , ipsa mens in sui consideratione turbata commovetur. Hinc Psalmista pro peccatoribus exorans dicit : *Qui sedes super Cherubin , moveatur terra.* Hinc pro afflictis & pœnitentibus deprecans ait : *Commovisti terram , & conturbasti eam : sana contritiones ejus , quoniam mota est.* Terra quippe commota , & conturbata , est peccator de cognitione reatus sui anxius , & ad pœnitentiæ lamenta perductus. Peccanti enim homini dictum est : *Terra es , & in terram ibis.* Exoret ergo , ut sanetur contritio terræ , quia mota est , quatenus peccator qui de culpis suis affligitur , de cælestis misericordiæ gaudio consoletur. Hæc est itaque vox commotionis magnæ , quando unusquisque sua acta dijudicans , in afflictione pœnitentiæ turbatur. Sed quid vox ipsa dicat audiamus : *Benedicta gloria Domini de loco suo.* Locus enim maligni spiritus fuerunt corda peccantium : sed cum sibi metipsis irati per pœnitentiam redeunt ad vitam , gloriæ Domini locus fiunt : jam enim se contra se erigunt : jam pœnitentiæ lacrymis insequuntur mala quæ commiserant. Inde ergo auditur benedictio gloriæ in laudem Dei , unde prius sonabat creatoris injuria de amore præsentis sæculi. Et corda pœnitentium fiunt Domino locus suus , quæ prius in peccatis posita fuerant locus alienus. Ipsi autem qui à peccatis suis ad Dominum convertuntur , non solum delent lacrymis perversa quæ fecerunt , sed etiam miris operibus ad alta proficiunt ; & velut sancta animalia Dei omnipotentis fiunt , ut signis & virtutibus ad alta evolent , ut terram funditus deserant , & accepto Dei dono se ad cælestia per desiderium suspendant. De quibus adhuc subditur : *Et vo-*

Zachar.
14. v. 4.

Psal. 98.
v. 1.
Psal. 59.
v. 4.

Gen. 3.
v. 19.

Ezech. 3.
v. 12.

cem alarum animalium percutientium alter ad alterum.

Audit post se Propheta vocem commotionis magnæ; quia, sicut dictum est, verbum prædicantium luctus pœnitentium sequitur. Audit post se vocem animalium alarum, quia ex ipso luctu pœnitentium oriuntur virtutes Sanctorum, ut tanto magis in sancta oratione proficiant, quanto se ante corruptione vitæ nequiter egisse meminerunt. Sed est in his verbis magna dubitatio, quia non aperte per Prophetam dicitur, utrum unumquodque animal suas alas inter semetipsas percutiat, aut num certe hæc eadem animalia alis suis se vicissim feriant, ut ala hujus alterum, & ala alterius istud animal tangat? Sed quia plerumque in sacro eloquio ideo aliquid obscure dicitur, ut dispensante Deo mirabiliter & multipliciter exponatur; nos caritati vestræ utraque exponere largiente Domino debemus. Sæpe jam alas animalium virtutes diximus esse Sanctorum. Quomodo ergo unumquodque animal alas suas excutiens, alterâ alteram percutit, nisi quod aperte datur intelligi, quia si sancta animalia efficimur, virtus in nobis virtutem excitat, dum una alteram ad perfectionem pulsat? Ecce etenim quis habet verbi Dei scientiam, atque per eandem scientiam discit, ut viscera etiam misericordiæ habeat.

Luc. 11. Per scientiam quippe verbum Dei discit: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Cumque jam esse misericors in eleemosynis cœperit, verba sanctæ auctoritatis legit: & quidquid in eis de misericordia dicitur, uberius per experimentum intelligit. Ibi

Job 29. enim scriptum est: Pater eram pauperum. Quid est ergo quod hæc pennata animalia vicissim alterum ad alterum feriuntur, nisi quod omnes Sancti se invicem suis virtutibus tangunt, & sese ad profectum excitant

tant ex consideratione virtutis alienæ? Non enim undantur omnia, ne in superbia elatus cadat. Sed huic datur, quod tibi non datur. Et tibi datur, quod illi negatur: ut dum iste considerat bonum quod habes, & ipse non habet; te sibi in cogitatione præferat. Et rursum, dum tu habere illum conspicias, quod ipse non habes; te illi in tua cogitatione postponas, & fiat quod scriptum est: *Superiores sibi invicem arbitantes*. Ut enim pauca ex multis loquar, isti miræ ab continentie virtus tribuitur, & tamen verbum scientie non habet: illi datur verbum scientie, & tamen virtutem perfectæ ab continentie apprehendere conatur, & non valet. Huic libertas vocis tribuitur, ut, oppressis quibusque protectionis solatium impendens, ad defensionem justitiæ libere loquatur; sed tamen adhuc multa in hoc mundo possidens relinquere omnia volet, & non valet. Illi verò jam datum est omnia terrena relinquere, ut nihil in hoc mundo cupiat habere; sed tamen auctoritatem vocis contra peccantes quosque non præsumit exercere. Et qui ideo plus loqui libere debuit, quia jam non habet unde in hoc mundo teneatur; loqui contra alios libere recusat, ne ipsam vitæ suæ quietem perdat. Isti virtus Prophetie data est, multa jam quæ ventura sunt prævidet; sed tamen præsentis proximi ægritudinem conspiciens, atque compatiens, non valet curare. Illi data est curationis gratia, atque à corpore proximi molestiam quæ in præsentis orationibus repellit; sed tamen quid se ipsum paulo post sequatur ignorat. Mira itaque dispensatione omnipotens Deus sic in electis suis sua dona dispensat, ut & isti det quod illi negat, & alteri majus, quod alteri minus tribuat: quatenus dum vel iste habere illum conspi-

*Philip. 2.
v. 3.*

cit quod ipse non habet, vel ille hunc majus accepisse considerat quod sibi minus adesse pensat; dona Dei alter in altero, id est, vicissim, homines admirentur, atque ex hac ipsa admiratione humilietur alter alteri; &, quem videt habere quod non habet, eum divino iudicio sibi prælatus putet. Alis ergo suis vicissim animalia feriuntur, cum sanctæ mentes alternis se virtutibus tangunt, & tangendo excitant, atque excitare ad profectum volunt. Alis ergo se tangunt, quia inde se vicissim ad profectum excitant unde volant. Hæc itaque omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum. Poterat namque unicuilibet regioni fructus tribuere omnes. Sed si unaquælibet regio alterius regionis fructibus non indigeret, communionem cum altera non habuisset: unde fit, ut huic vini, alteri verò olei abundantiam tribuat: hanc multitudine pecorum, illam verò ubertate abundare faciat frugum: ut cum illa deferat quod ista non habet, & ista reddat quod illa non detulit, per communionem gratiæ sibi simul etiam divisæ terræ conjunctæ sint. Sicut enim regiones terrarum, ita sunt mentes Sanctorum: quæ dum vicissim sibi conferunt, quasi fructus suos regiones regionibus impendunt, ut in una omnes caritate jungantur. Sed inter hæc sciendum est, quia sicut electi quique hoc semper in aliis adtendunt quod à Deo melius acceperunt, cum ipsi ut eos sibi in cogitatione præferant, se illis in humilitate substernunt; ita reproborum mens numquam considerat quid alter boni amplius quàm alter habeat: neque enim pensant quæ bona spiritaliter acceperint, & ipsis desint; sed quæ bona ipsis, & quæ mala adsint alteri. Et cum omnipotens Deus ad hoc virtutes singulis dividat, ut alterum alteri in cogitatione humiliet; ad hoc re-

reprobi pertrahunt bonum quod acceperunt, ut ex eo in elatione perdantur, dum semper considerant bona quæ ipsi habent, & alii non habent; & numquam perpendere studeant quanta bona alii habeant, & ipsi non habeant. Quod ergo divina pietas in augmentum disponit humilitatis, hoc mentes reprobæ in augmentum vertunt elationis. Et ex diversitate munerum ab eo deficiunt, unde crescere in humilitatis bono debuerunt. Propter hoc ergo necesse est, fratres carissimi, ut in vobis hoc semper debeatis aspicere quod minus habetis: in proximis verò hoc quod vobis amplius acceperunt: quatenus dum super vosmetipsos eos pro bono quod ipsi habent, & vos non habetis, aspicitis, ad hoc quoque obtinendum etiam vos ex humilitate crescatis. Si enim & vos in illis accepta bona perpenditis, & illi in vobis considerant bona quæ habetis, vicissim vos tangitis alis, ut excitati semper ad cælestia evoletis.

Et intus plena sunt oculis. Intus dixit, quòd malis occultum sit lumen Evangelii, quod non nisi à Sanctis fidei oculis aspicitur, & quòd ipsi sancti humilitate coniecti futuræ claritati reservantur. Corpora itaque animalium idcirco plena oculis describuntur, quia Sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter providens, mala solerter cavens. Et hoc laboriosius est, ubi Sanctorum mens vehementer invigilat, ne inhæreant eorum oculis, & mala sub bonorum specie abscondant. Circumspecta est ergo vita Sanctorum, ne sic sit libera, ut superba sit: quia sæpe superbia excedit in verbis, & videri appetit libertas puritatis. Ne sic sit humilis, ut formidolosa: quia aliquando timor restringit animum, ut loqui quæ recta sunt non præsumat, sed tantum in ipsa timida cogitatione humilitatem esse simulat. Ne sic sit parca, ut

tenax sit : quia plerumque tenacia parsimonia appetit extimari , ut juste ac necessario videatur tenere quidquid egenti proximo non vult impendere. [Ne sic sit misericors , ut effusa sit :] (1) quia nonnunquam effusio sese misericordiam putat. Aliud est enim pietatis studio necessaria proximis dare, aliud ea quæ possidentur sine mercedis intentione dispergere. Quidquid ergo agitur , in radice intentionis pensandum est quo merito apud iudicium creatoris habeatur. Sicut Salvator ait : *Si oculus tuus simplex fuerit , totum corpus tuum lucidum erit.* Oculum videlicet intentionem , corpus verò actionem nominans. Quia si nostra intentio apud Deum simplex fuerit , in ejus iudicio nostra actio tenebrosa non erit. Corpora ergo animalium plena sunt oculis , cum se hinc inde caute circumspiciunt. Hæ ergo prædicationes , quamvis quatuor sint , una est tamen , quia de uno ore procedunt : sicut fluvius in paradiso , cum sit unus , in quatuor partes divisus est. Oculos autem intus & foris habere animalia , id est, prædicationem novi Testamenti , providentiam specialem ostendit , quæ & secreta cordis inspicit , & supervenientia videt , quæ sunt intus & foris. Alæ senæ testimonia sunt veteris Testamenti librorum. Ideoque viginti quatuor faciunt tot numeros quot & seniores super tribunalia. Sed sicut animal volare non potest , nisi pennas habeat ; sic prædicatio novi Testamenti fidem non habet , nisi habeat veteris Testamenti prænuntiata testimonia , per quæ tollitur à terra & volat. Semper enim quod ante dictum est , & postea factum inven-

Matth. 6.
v. 22.

(1) *Uncis circumscripta desunt in Codicibus : extant apud Gregorium lib. 1. Homiliar. in Ezechiel. homil. 7. num. 2. unde sententiam auctor mutuatus est , sicut & multa ex præcedentibus.*

nitur, illud fidem facit indubitabilem. Rursum tamen & alæ si non hæreant (1) animalibus vitam unde trahant non habent. Nisi enim quæ prædixerunt Prophetæ, in Christo fuissent completa, inanis esset prædicatio illorum. Hoc tenet Ecclesia Catholica & ante per Prophetas prædicta, & postea in Christo consummata. Volat & merito tollitur à terra vivum animal. Hæretici autem qui testimonio prophetico non utuntur, adsunt eis animalia, sed non volant, quia sunt terrena. Judæi autem qui non accipiunt novi Testamenti prædicationem, adsunt eis alæ, sed non vivunt, id est, inanem prædicationem hominibus afferunt, facta dictis non conferentes. Sunt autem libri veteris Testamenti, qui excipiuntur, viginti quatuor: quod & in epitomis Theudori invenies; sed & viginti quatuor, ut diximus, Patres & Apostolos judicare populum suum oportet. Interrogantibus enim Apostolis & dicentibus: *Nos, omnibus nostris relistis, secuti sumus te; quid erit nobis?* respondit Dominus noster: *Cum sederit filius hominis supra solium gloriæ suæ, sedebitis & vos super duodecim tribunalia, judicantes duodecim tribus Israel.* Sed & patribus, quia judicaturi sunt, ait Jacob Patriarcha: *Dan judicabit & ipse populum suum inter fratres suos, sicut una tribus Israel.*

Matth.
19.v.27.

Gen. 49:
v. 16.

Et à sede procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, & septem faculæ ignis ardentis. Significat prædicationes & repromissiones à Deo & minas: nam fulgura adventum Domini significant: voces autem novi Testamenti prædicationes. Tonitrua autem, quod caelestia sunt verba prædicatorum indicat tuba. Faculæ

(1) *Mss. Cod. erant. Restituimus hæreant ex Victorino, cujus hæc sunt verba.*

læ ignis ardentis donum Spiritus Sancti, quod in lignum passionis est redditum. Et cum hæc fierent, *cecidisse* dicit *universos majores natu*, & adorasse Dominum, cum darent animalia illa gloriam & honorem, id est, evangelica actio, scilicet Domini, & doctrina, cum adimpleret ante per illos prænuntiatum verbum. Dignè meritoque exultant, scientes secreta & verbum Domini ministrasse. Denique & quia venerat qui mortem disjungeret, & coronam immortalitatis solus dignus sumeret. Omnes habebant pro gloria aliquas actus sui optimi coronas, & *projecerunt coronas suas sub pedibus ejus*, id est, propter eminentem victoriam Christi, omnes victorias sub pedibus ejus straverunt. Hoc & in evangelio supplevit, Spiritu Sancto ostendente, quando exierunt obviam ei, alii vestimenta sua prosternebant, alii palmas & ramos de arboribus. Duos scilicet populos ostendens: unum Patriarcharum, & alium Prophetarum, magnorum virorum, qui quascumque habebant palmas victoriarum suarum contra peccatum, victori hominum Christo eas sub pedibus jactabant. Palma autem & corona idem significat, quoniam non datur nisi victori. Sic illi mittentes coronas suas clamabant, dicentes: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem; quia tu creasti omnia, & propter nomen tuum erant, & creata sunt.* Erant, inquit, & creata sunt. Erant secundum Deum, à quo cuncta prius quam fierent possessa sunt. Creata sunt autem, ut & à nobis viderentur, sicut Moy-

Deuter.
32. v. 6.

ses dicit: *Nonne ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te.* Possedit in præscientia, fecit in Adam, creavit ex Adam.

Cap. V.

Et vidi super dexteram sedentis in throno librum scrip-

scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Liber qui hic interius & exterius narratur scriptus, præsens mundi omnis est creatura, cujus interiora prospicit (1) Dominus, & exteriora cognoscit; vel excedit exterius mundum virtute potentiae circumscriptum, & scrutatur interius evidentia majestatis. Septem sigillis signatus dicitur, ut præsens hebdomadae diffinitio, qua mundus appareat. Sive liber scriptus duo sunt Testamenta, constat, vetus, & novum. Quod autem dicit *intus & foris*, lex est ante adventum, [foris] quod videtur in lectione: intus cum non intelligitur, quia & in lege Evangelium latet: sicut Ezechiel dicit *rota intra rotam*, id est, Evangelium intra legem, sed occultum jacebat, sicut Psalmographus ait: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*; quia obscura est scientia in Prophetis. Sed Salomonis voce adtestante dicimus: *Gloria regum est celare verbum, & gloria Dei est investigare sermonem*. Quia & honor est omnium eorum, id est, regnorum, secreta abscondere, & gloria Dei est mysteria sermonis ejus prædicare, & aperire. *Quæ dico vobis in obscuro, dicite in lumine*, id est, aperte exponite, quæ in allegoriarum obscuritatibus auditis. Magnæ verò utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet verbum ut fatigatione dilatetur, & ostensus (2) capiat quod capere non possit otiosus. Habet quoque majus aliud, quia Scripturae Sacrae intelligentia, quæ si in cunctis esset aperta vilesceret, in quibusdam locis obscurioribus tanto majori dulcedine inventa reficit, quanto majori labore fatigat animum quæsitâ.

Ezech.

10.

Psal. 17.

v. 12.

Prov. 25.

v. 2.

Matth.

10. v. 27.

Ec-

(1) Cod. Emil. præscit.

(2) Forte extensus: sed apud Gregorium lib. 1. in Ezechiel. homil. 6. ubi hæc stant verba, exercitatus legimus, & pro verbum, sensum.

Ezech. 1.
v. 15.

Ecce enim Ezechielis nunc voce dicitur: *Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram.*

Gen. 27.

Quid autem rota, nisi Sacram Scripturam significat, quæ ex omni parte ad auditorum mentes volvitur, & nullo erroris angulo à prædicationis suæ via retinetur? Ex omni autem parte volvitur, quia inter adversa & prospera, & recte & humiliter incedit. Circulus quippe præceptorum illius modò sursum, modò deorsum est: quia ipsa quæ perfectioribus spiritualiter dicuntur, infirmi juxta litteram intelligunt, docti verò per spiritualem intelligentiam in altum ducunt. Quis namque parvulorum in facto Esau & Jacob, quod alter ad venandum mittitur ut benedicatur, alter verò per suppositionem matris à patre benedicatur, nisi juxta sacræ lectionis historiam pascitur? In qua videlicet historia, si ad intellectum paulo subtilius adstringatur, videbit quia Jacob primogeniti benedictionem subripuit, sed ut sibi debitam accepit, quam concedente patre de talenti mercede emerat. At verò si quis altius sentiens utrorumque facta velit per allegoriæ secreta discutere, protinus ab historia in mysterium surgit. Quid est enim quod Isaac de majoris filii sui venatione comedere concupiscit, nisi quod omnipotens Deus de Judaico populo bonam operationem desideravit? Sed illo tardante, minorem Rebecca supposuit, quia dum judaicus populus bona opera foras quærit, gentilem populum mater gratiæ introduxit, ut omnipotenti patri civum boni operis afferret, & benedictionem majoris fratris acciperet. Qui eosdem civos è domesticis animalibus præbuit, quia gentilis populus placere Deo de exterioribus sacrificiis non quærens, per vocem Prophetæ dicit: *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.*

Psal. 55.
v. 12.

bi. Quid est quod eidem Jacob manus ac brachia & collum hædinis pellibus textit, nisi quod hædus pro peccato offerri consuevit; & gentilis populus carnis quidem in se peccata mactavit, sed coopertum se peccatis carnalibus non erubuit confiteri? Quid est, quod vestibibus fratris majoris induitur, nisi quod Sacrae Scripturae præceptis quæ majori populo data fuerant, in bona operatione vestitus est; & eis minor in domo utitur, quæ major foris exiens intus reliquit? Quia illa gentilis populus præcepta tenet in mente, quæ judaicus populus habere non potuit, dum solam in eis litteram attendit. Et quid est quod Isaac eundem filium nescit quem benedicit, nisi hoc quod de gentili populo Dominus per Psalmistam dixit: *Populus, quem non cognovi, servivit mihi; obauditu auris obaudivit mihi?* Quid est quod præsentem non videt, & tamen quæ ei in futuro veniant videt; nisi quod omnipotens Deus cum per Prophetas suos prædicaret gentilitati gratiam prærogandam, eum in præsentem per gratiam non vidit, quem tunc in errore dereliquit; & tamen, quia hoc quandoque collecturus erat per benedictionis gratiam, prævidit? Unde idem Jacob gentilis populi figuram tenenti in benedictione dicitur: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Sicut enim in Evangelio veritas dicit, *ager est hic mundus.* Et quia gentilis populus ad fidem perductus per electos suos in universo mundo virtutibus redolet, odor filii odor est agri pleni. Aliter namque olet flos uvæ, quia magna est virtus, & opinio prædicatorum, quæ inebriant mentes audientium, aliter flos olivæ, quia suave est opus misericordiæ, quod more olei refovet & lucet. Aliter flos rosæ, quia mira est fragrantia, quæ rutilat & redolet ex odore mar-

*Psal. 17.
v. 45.*

*Gen. 27.
v. 27.
Matth.
13. v. 38.*

martyrum. Aliter flos lilli, quia candida caro est de incorruptione virginitatis. Aliter flos violæ, quia magna est virtus humilium, qui ex desiderio loca ultima tenentes, se per humilitatem in altum licet non sublevent, tamen cælestis regionis purpuram in mente servant. Aliter redolet spica cum ad maturitatem perducitur, quia & bonorum operum perfectio ad societatem eorum, qui justitiam esuriunt, præparatur. Quia ergo gentilis populus in electis suis ubique per mundum sparsus est, & ex eis virtutibus quas agit omnipotens, omnes qui intelligunt odore bonæ opinionis replet, dicatur recte: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*: sed quia idem virtutes ex semetipso non habet, adjungat *cui benedixit Dominus*. Et quoniam idem electorum populus per quosdam etiam in contemplatione surgit, per quosdam verò in activæ vitæ solummodo opera pinguescit; rectè illic additur: *Det tibi Dominus de rore cæli, & de pinguedine terræ*. Ros enim desuper & subtiliter cadit, & quotiens de rore cæli accipimus, totiens per effusionem contemplationis intimæ de supernis aliquid tenuiter videmus: cum verò bona opera etiam per corpus agimus, è terræ pinguedine ditamur. Quid est autem quod Esau ad patrem tardius redit, nisi quod judaicus populus ad placendum Domino serò revertitur? Cui & hoc in benedictione dicitur: *Tempusque erit cum solvatur jugum de collo tuo*; quia à servitute diaboli & peccati judaicus populus in fine liberabitur. Sicut scriptum est: *Donec plenitudo gentium introiret, & sic omnis Israel salvus fiet*.

Gen. 27.
v. 40.

Rom. 11.
v. 25.

Joann. 2.
v. 7.

Quem non parvulorum ipsa Evangelica historia in miraculi operatione reficiat, quod hydrias vacuas Dominus aqua impleri præcepit, eandemque aquam statim in vinum vertit? Sed cum evigilantiores ingenio audiunt,

diunt, & sacram historiam credendo venerantur, quid interius innuat requirunt. Qui enim mutare aquam in vinum potuit, etiam vacuas hydrias valuit statim vino replere. Sed impleri hydrias aqua jubet, quia ipsius & sacrae lectionis historia corda nostra replenda sunt: & aquam nobis in vinum vertit, quando ipsa historia per allegoriae mysterium in spiritualem nobis intelligentiam commutatur. Rota ergo quasi per terram trahitur, quia parvulis humili sermone concordat. Et tamen magnis spiritualia infundens, quasi circulum in altum levat: & inde rursum erigitur, unde terram tangere paulo ante videbatur. Quia verò undique aedificat, quasi per circulum rota currit: unde & in lege scriptum est: *Facies candelabrum ductile de auro mundissimo, bastile ejus, & calamos, & scyphos, & spherulas, ac lilia ex ipso procedentia.* Quid in candelabro, nisi Redemptor humani generis designatur? Qui in natura humanitatis infudit lumen divinitatis, ut mundi candelabrum fieret, quatenus in ejus lumine omnis peccator in quibus jaceret tenebris videretur; qui pro eo quod naturam nostram sine culpa suscepit, candelabrum tabernaculi, ex auro purissimo fieri jubetur. Ductile autem feriendo producit, quia Redemptor noster, qui ex conceptione & nativitate perfectus Deus & homo extitit, passionem & dolorem pertulit, & sic ad resurrectionis gloriam pervenit. Ex auro quippe mundissimo ductile candelabrum fuit, quia & peccatum non habuit, & tamen ejus corpus per passionis contumelias ad immortalitatem profecit. Nam juxta virtutes animae, quò percusionibus potuisset proficere, omninò non habuit: in membris autem suis, quæ nos sumus, quotidie percusionibus proficit: quia dum nos tundimur, & efficimur ut ejus membra esse mereamur, ipse proficit,

de

Exod. 25
v. 31.

Colos. 2. de cujus corpore scriptum est: *Ex quo totum corpus*
v. 19. *per nexus, & conjunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei.* Corpus quippe illius nos omnes sumus; per nexus verò & conjunctiones corpus ligatur, quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachiis manus, digiti manibus sunt conjuncti, ac membra cetera membris inhærent; corpus omne efficitur. Sicut Sancti Apostoli, quia Redemptori nostro propinqui extiterunt, quasi pectus capiti inhæsit. Quos quia martyres sunt secuti, quasi conjuncta brachia pectori fuerunt. Quibus dum pastores & doctores subjuncti sunt per bona opera, manus brachiis inhærent. Hoc verò omne corpus Redemptoris nostri quotidie per nexus & conjunctiones corporis ligatur & subministratur in cælo: quia cum ad eum illuc electi ducuntur, ei
Ibidem. sua membra conligantur. De quo bene dicitur: *Subministratum & constructum crescit ad augmentum Dei:* quia Deus omnipotens, Redemptor noster, qui in se quò proficiat non habet, adhuc per membra sua quotidie augmentum habet. Unde rursus scriptum est:
Ephes. 4. *Donec occurramus omnes ei, in virum perfectum, in*
v. 13. *mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Hastile verò ejusdem candelabri ipsa Ecclesia debet intelligi, quæ corpus ejus est, quia inter tanta adversa libera adstat. *Calami* autem qui de hastili prodeunt, prædicatores sunt, qui dulcem sonum in mundo ediderunt, videlicet, canticum novum. *Scyphi* autem vino repleri solent. Quid ergo mentes auditorum, nisi scyphi sunt, quæ Sanctis prædicantibus, vino scientiæ replentur? Spherula autem quid est aliud, nisi volubilitas prædicationis? Sphæra enim ex omni parte volvitur; & prædicatio quæ nec adversitate retineri potest, nec prosperitatibus elevatur, sphæra est; quia & inter adversa for-

fortis, & inter prospera humilis, nec timoris habet angulum, nec elationis. In cursu ergo suo figi non valet, quia per cuncta se volubiliter trahit. Ut autem hoc quod exempli causa protulimus exequamur; bene post calamos, sciphos, & spherulas in candelabro lilia describuntur: quia post eam quam diximus prædicationis gratiam, atque volubilitatem, illa virens patria sequitur, quæ animabus sanctis, id est floribus, vernat æternis. Spherulæ enim ad laborem pertinent: lilia ad retributionem. Itaque sicut apud Moysen spherula doctrina prædicationis accipitur, ita hic per rotam ipsa Sacra Scriptura signatur. Propheta igitur, dum sancta animalia videret, adjunxit: *Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram.* Quam in re querendum est, cum interius rotæ scribantur, cur una rota prius apparuisse dicitur, nisi quia antiquo populo vetus solummodo Testamentum datum est, quod ad erudiendum mentem illius quasi rota volveretur? Bene autem rota eadem super terram apparuisse dicitur: peccanti enim homini dictum est: *Terra es, & in terram ibis.* Rota Gen. 3. v. 19. ergo super terram apparuit, quia omnipotens Deus legem super peccantium corda dedit. Sed quia hæc pennata animalia Sanctos, ut diximus, Evangelistas designant; quomodo prius animalia, & postmodum rota una aspicitur, dum ante Testamentum vetus fuerit, & postmodum Sancti Evangelistæ secuti sunt? Sed intelligere in his possumus, quod illi prius à Propheta visi sunt, qui merito transcendunt: nam quantò Sanctum Evangelium Testamentum vetus præcellit, tanto & prædicatorum ejus in descriptione prophetica præferri debuerunt. Quamvis sit adhuc aliud quod in hac descriptione considerari debeat: quia prophetiæ Spiritus sic intra semetipsum anteriora & posteriora simul colligit, ut hæc si-

mul Prophetæ lingua proferre non possit; sed ampla quæ videt, dispertitis sermonibus enuntiat: & nunc ultima post prima, prima post ultima loquitur. Unde & Ezechiel Prophetæ sub figura sanctæ universalis Ecclesiæ, & Evangelistarum gloriam per quatuor animalium similitudinem vidit, & tamen repente illa subjungit quæ anterioribus temporibus gesta sunt, ut patenter indicet, simul se vidisse quod carnalis lingua non sufficeret simul dicere. Quia verò quatuor animalia etiam perfectos homines significare diximus, considerandum quoque est, quosdam Sanctorum & ante legem fuisse, qui naturali lege districtè viverent, & omnipotenti Domino placerent. Post animalia ergo rota describitur, quia electorum multi apud omnipotentem Dominum perfecti ante legem fuerunt. Sin verò animalia solos, ut diximus, Evangelistas debemus accipere; est adhuc aliud quod considerare debeamus. Videbat enim Sanctus Prophetæ, quia hæc ipsa verba quæ obscuritatibus obvoluta profererat, non judaico populo, sed gentibus panderentur. Nobis igitur loquens, prius animalia, & post rotam describere voluit, quia nos ad fidem Domino largiente venientes, non per legem Evangelium, sed per Sanctum Evangelium legem didicimus.

Ubi verò vel qualis rota apparuerit, adjungit cum dicit: *Juxta animalia, habens quatuor facies: ubi & adhuc subditur: Et aspectus rotarum, & opus earum, quasi visio maris: & una similitudo ipsarum quatuor: & aspectus earum & opera, quasi si sit rota in medio rotæ.* Quid est hoc, quod cum una rota diceretur, paulo post adjungitur *quasi sit rota in medio rotæ*, nisi quod in Testamenti veteris littera Testamentum novum latuit per allegoriam? Unde & rota eadem quæ juxta animalia apparuit, quatuor facies

Ezech. 1.
2. 15.

cies habere describitur : quia Scriptura Sacra per utraque Testamenta in quatuor partibus est distincta. Vetus etenim Testamentum in lege , & Prophetis ; novum verò in Evangeliiis , atque in Actibus Apostolorum & dictis. Scitur autem quia ubi faciem intendimus , ibi quod necesse est videmus. Rota ergo quatuor habet facies , quia prius resecanda mala in populis vidit per legem , postmodum verò vidit per Prophetas. Subtilius verò per Evangelium , ad extremum autem per Apostolos ea quæ in culpis hominum resecarentur , aspexit. Potest quoque intelligi , quod quatuor facies rota habeat , propter hoc quod Scriptura Sacra per gratiam prædicationis ostensa , in quatuor mundi partes innotuit. Unde & bene eadem rota una prius juxta animalia apparuisse , & postmodum quatuor facies habuisse , describitur : quia nisi lex Evangelio concordaret , in quatuor mundi partes non innotesceret. Sequitur : *Et aspectus rotarum , & opus earum , quasi visio maris.* Rectè sacra eloquia visioni maris similia narrantur , quia in eis magna sunt volumina sententiarum , cumuli sensuum. Nec immerito mari similis Scriptura Sacra dicitur , quia firman-
tur in ea sententiæ locutionis sacramento baptismatis. Vel certe considerandum est , quia navibus in mari navigamus , cum ad desideratas terras tendimus. Nobis autem quid est in desiderio , nisi illa terra , de qua scriptum est : *Portio mea in terra viventium?* Ligno autem , ut dixi , evehitur qui mare transit. Et scimus quia Scriptura Sacra lignum crucis per legem nobis prænuntiat , cum dicit : *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Quod Redemptori nostro Paulus attestatur dicens : *Factus pro nobis maledictus.* Per Prophetam quoque lignum annuntiat , cum dicit : *Dom-*

Ps. 141.
v. 6.

Deuter.
21. v. 23.

Galat. 3.
v. 13.

Psal. 95.
v. 10.

Jerem. nus regnavit à ligno. Et rursum : *Mittamus lignum*
11. v. 19. *in panem ejus.* Per Evangelium verò lignum crucis
 aperte ostenditur, ubi ipsa Domini passio per Pro-
 phetas est declarata. Per Apostolos verò hæc eadem
 crux etiam in verbis & operibus tenetur, cum Pau-
Galat. 6. lus dicit : *Mihi mundus crucifixus est, & ego mun-*
v. 14. *do.* Et rursus : *Mihi autem absit gloriari, nisi in*
Isai. 11. *cruce Domini nostri Jesuchristi.* Nobis ergo qui ad
v. 9. æternam patriam tendimus, Scriptura Sacra per qua-
 tuor suas facies mare est, quæ crucem adnuntiat, quia
 nos ad terram viventium ligno portat. Nisi autem ma-
 ri Scripturam Sacram similem cerneret Propheta, mi-
 nime dixisset : *Repleta est terra gloria & scientia*
Domini, sicut aqua maris operientis. Sequitur : *Et*
una similitudo ipsarum quatuor, & aspectus earum
& opera, quasi sit rota in medio rotæ. Una simili-
 tudo ipsarum est quatuor, quia quod prædicat lex,
 hoc etiam & Prophetæ : quod denuntiant Prophetæ,
 hoc exhibet Evangelium : quod exhibuit Evangelium,
 hoc prædicaverunt Apostoli per mundum. Una ergo
 est similitudo ipsarum quatuor, quia divina eloquia,
 etsi temporibus distincta sunt, tamen sensibus unita.
Et aspectus earum & opera, quasi rota in medio ro-
tæ. Rota in rota est Testamentum novum, sicut di-
 ximus, intra Testamentum vetus. Hoc & Testamen-
 tum novum exhibuit. Ut enim pauca de multis loquar,
 quid est quod Adam dormiente producitur Eva, nisi
 quod moriente Christo Ecclesia formatur? Quid est
 quod Isaac ad immolandum ducitur, & ligna portat,
 aræ superimponitur, & vivit; nisi quod Redemptor
 noster, cum ad passionem ducitur, lignum sibi cru-
 cis ipse portavit, & sic in sacrificio ex humanitate
 pro nobis est mortuus, ut tamen immortalis maneret

ex divinitate? Quid est quod homicida post mortem Num. 35.
v. 25.
Summi Pontificis absolutus ad terram propriam rediit,
nisi quod humanum genus quod peccando sibimetip-
si mortem intulit, post mortem veri Sacerdotis, vide-
licet Redemptoris nostri, peccatorum suorum vinculis
solvitur, & in paradisi possessione reparatur? Quid Exod. 25
v. 19.
est quod in tabernaculo propitiatorium fieri jubetur,
super quod duo Cherubim, unum ad summitatem unam,
& alterum ad summitatem aliam, ex auro mundissi-
mo ponuntur, expandentes alas, & operientes oracu-
lum, qui se mutuo respiciunt versis vultibus in pro-
pitiatorium; nisi quod utraque Testamenta ita sibi in
mediatorem Dei & hominum congruunt, ut quod unum
signet, hoc alterum exhibeat? Quid enim per propi-
tatorium, nisi ipse Redemptor humani generis desig-
natur? De quo per Paulum dicitur: *Quem proposuit* Rom. 3.
v. 25.
Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.
Quid verò per duo Cherubim, qui plenitudo scientiæ
dicuntur, nisi utraque Testamenta signata sunt, ex
quibus unum ad summitatem unam propitiatorii, aliud
verò ad summitatem alteram adstat? Quia quod Tes-
tamentum vetus de incarnatione nostri Redemptoris cœ-
pit prophetando promittere, hoc Testamentum novum
perfecte narrat expletum. Duo autem Cherubim ex auro
mundissimo facta sunt, quia utraque Testamenta pura
ac simplici veritate describuntur. Expandunt verò alas,
& oraculum operiunt, quia nos, qui omnipotentis Dei
oraculum sumus, à culpis imminentibus Scripturæ Sacræ
ædificatione tegimur; cujus dum sententias solícite aspi-
cimus, ab errore ignorantiae ejus alis velamur. Duo
Cherubim se mutuo respiciunt, versis vultibus in pro-
pitiatorium, quia utraque Testamenta in nullo à se dis-
crepant: & quasi ad semetipsa vicissim faciès tenent,

quia quod unum promittit , hoc aliud exhibet , & dum inter se positum mediatorem Dei & hominum vident : facies quippe à semetipsis Cherubim averterent , si quod unum Testamentum promitteret , aliud negaret. Sed dum concorditer de mediatore Dei & hominum loquuntur , ut vicissim se respiciant in propitiatorio intendunt. Rota ergo in medio rotæ est , quia inest Testamento veteri Testamentum novum : & , sicut sæpe jam diximus , quod Testamentum vetus promisit , hoc novum exhibuit : & quod illud occulte annuntiat , hoc istud exhibitum aperte clamat. Prophetia ergo Testamenti novi Testamentum vetus est , & expositio Testamenti veteris Testamentum novum.

Sequitur : *Per quatuor partes earum ibant , & non revertebantur.* Quo alibi divina eloquia , nisi ad corda hominum vadunt ? Sed per quatuor partes euntes ibant , quia Scriptura Sacra per legem ad corda hominum vadit , signando mysterium. Per Prophetas vadit , paulo apertius prophetando Dominum. Per Evangelium vadit , exhibendo quem prophetavit. Per Apostolos vadit , prædicando eum quem Pater in nostram redemptionem misit. Habent ergo rotæ facies , & vias , quia ostendunt sacra eloquia notitiam præceptorum cum exhibitione operum : sed per quatuor partes vadunt , quia distinctis , ut prædiximus , temporibus loquuntur : vel certè , quia in cunctis mundi regionibus incarnatum Dominum prædicant. De quibus apertè mox subditur : *Et non revertebantur , cùm ambularent.* Hæc superius de animalibus dicta sunt : sed non eadem intelligi de rotis , quæ de animalibus , possunt. Rotas quippe signare Testamenta diximus : & Testamentum vetus ambulavit quidem , cum per prædicationem ad mentes hominum venit : sed post semetipsum reversum est , quia juxta litte-
ram

ram in præceptis suis & sacrificiis usque ad finem servari non potuit. Non enim sine immutatione permansit, cum in eo spiritualis intelligentia defuit. Sed cum Redemptor noster in mundum venit, hoc spiritualiter fecit intelligi, quod carnaliter invenit teneri. Itaque dum spiritualiter littera ejus intelligitur, omnis in eo illa carnis exhibitio vivificatur. Testamentum verò novum etiam per Testamenti veteris paginas Testamentum æternum appellatum est, quia intellectus illius numquam mutatur. Bene ergo dicitur, quod *rotæ euntes ibant, & non revertebantur, cum ambularent*: quia dum novum Testamentum non rescinditur, dum vetus jam spiritualiter in intellectu tenetur; post se non redeunt, quæ usque ad finem mundi immutabilia persistunt. Ambulant ergo, sed non revertuntur, quia sic spiritualiter ad cor nostrum veniunt, ut eorum præcepta vel studia ulterius non mutantur.

Sequitur: *Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus*. Quid est quod Scripturæ Sacræ eloquiis tria hæc inesse narrantur, ut staturam, altitudinem, & horribilem aspectum, id est, terribilem, habere memorentur? Quærendum nobis magnopere est, quæ divinæ Scripturæ statura, quæ altitudo, qui horribilis aspectus dicitur? Sciendum ergo est, quia statura ad vitam congruit bene operantis. Unde per Paulum dicitur: *Qui stat, videat, ne cadat*: qui etiam discipulis dicit: *Sic state in Domino, carissimi*. Et Propheta, qui se vita vel moribus ante Dominum videbat, ait: *Vivit Dominus, in cujus conspectu adsto*. Altitudo verò, cælestis regni promissio, ad quam tunc pergitur, quando jam mortalis vitæ omnis corruptio subjugatur. Horribilis verò aspectus est, terror gehennæ, quæ sine fine reprobos cruciat, & semper in cruciatu conservat.

Statura ergo in rectitudine præceptionis est : Altitudo in celsitudine supernæ promissionis : Horribilis verò aspectus in minis atque terroribus supplicii sequentis. Scriptura igitur Sacra staturam habet , quia mores ad standum dirigit , ut auditorum mentes ad terrenam concupiscentiam non curventur : Altitudinem habet , quia in cælesti patria æternæ vitæ gaudia repromittit : Horribilem quoque aspectum habet , quia omnibus reprobis gehennæ supplicia minatur. Ostendit igitur staturam suam in ædificatione morum : Ostendit altitudinem in promissione præmiorum : Ostendit horribilem aspectum in terroribus suppliciorum. Recta est enim in præceptis : alta in promissionibus : horribilis in minis. Habet

Isai. 1. v. 17. staturam , cum per Prophetam dicit : *Quiescite agere perverse : discite bene facere : quærite iudicium : subvenite oppresso , iudicate pupillo , defendite viduam.*

Cap. 58. v. 7. Et rursum : *Frangere esurienti panem tuum , & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum operi eum , & carnem tuam (1) ne despexeris.* Habet

Cap. 60. v. 19. altitudinem , cum per eundem Prophetam dicitur : *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem , nec splendor Lunæ inluminabit te : sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam , & Deus tuus in gloriam tuam.* Habet horribilem aspectum , cum infernum describens di-

Cap. 34. v. 8. cit : *Dies ultionis Domini , annus retributionum iudicii Sion : & convertentur torrentes ejus in picem , & humus ejus in sulfur ; & erit terra ejus in picem ardentem. Nocte & die non extinguetur in sempiternum.*

Job 10. v. 21. Quam beatus quoque Job describit dicens : *Terram tenebrosam , & opertam mortis caligine. Terram miseriæ & tenebrarum , ubi umbra mortis , & nullus or-*

(1) *Æmil*, domesticos tuos ne despexeris.

do, sed sempiternus horror inhabitat. Habet staturam, cum per eam Dominus propitius pollicetur, dicens: *Sicut cæli novi & terra nova, quæ ego stare facio coram me, dicit Dominus; sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum.* Illi enim veraciter coram Domino stant, qui vitam suam in pravitate non dissipant. Habet altitudinem, cum statim subdit: *Erit mensis ex mense, & Sabbatum ex Sabbato. Et veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.* Quid est mensis nisi perfectio dierum? Et quid est Sabbatum nisi requies, in quo fieri opus servile non liceat? Mensis ergo ex mense est, quia qui hîc perfectè vivunt, illuc ad perfectionem gloriæ perducuntur. Sabbatum verò ex Sabbato est, quia qui hîc cessant à perverso opere, illic quiescunt in cælesti retributione. Habet etiam horribilem aspectum, cum protinus adjungit: *Egre-dientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quid enim horribilius dici, quid cogitari potest, quam damnationis vulnera suscipere, & dolores vulnerum numquam finiri? De hoc horribili aspectu rotarum bene per Sophoniam dicitur, cum supervenire duris mentibus dies judicii designatur: *Juxta est dies Domini magnus, juxta & velox nimis: Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiae, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulae & turbinis, dies tubæ & clangoris.* Sed quia exterioris rotæ dicta posuimus, restat nunc ut interioris quoque staturam, altitudinem, & horribilem aspectum, offerre debeamus. Habet quippe rota interior staturam suam, cum per sanctum Evangelium ad terrena desideria incurvari nos prohibet,

Isai. 66.
v. 22.

Vers. 23.

Sophon.
1. v. 14.

Luc. 21. v. 34. Redemptoris nostri vocibus dicens : *Adtendite & non graventur corda vestra in crapula, & in ebrietate, aut in curis hujus vitæ.* Habet altitudinem cum de

Joann. 1. v. 12. eodem Redemptore promittit, dicens : *Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quid enim hac potestate altius, quid hac altitudine sublimius dici potest, in qua creatus quisque efficitur filius Creatoris ? Habet horribilem aspectum,

Matth. 25. v. 46. cum de reprobis loquitur, dicens : *Ibunt in supplicium æternum.* Habet staturam, cum veritas discipulos admonet, dicens : *Vendite quæ possidetis, & date elemosynam.* Facite vobis sacculos non veterascentes. Habet

Matth. 8. v. 11. promissionis altitudinem, cum dicit : *Venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorum.* Habet horribilem aspectum, cum subdit : *Filii autem regni hujus ejicientur in tenebras exteriores : ibi erit fletus & stridor dentium.*

Joann. 8. v. 24. Quibus rursum veritatis voce dicitur : *Vos in peccatis vestris moriemini.* Habet staturam, cum primi pastoris

2. Petr. 1. v. 5. vocibus dicitur : *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute scientiam, in scientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem.* Habet altitudinem, cum paulo

Vers. 11. post dicit : *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini & Salvatoris Domini nostri Jesu Christi.* Qui rursus bonis pastoribus

1. Petr. 5. v. 4. pollicetur, dicens : *Cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.*

2. Petr. 3. v. 10. Habet horribilem aspectum, cum dicit : *Adveniet autem dies Domini ut fur, in qua cæli magno impetu transibunt, elementa verò calore solventur.* Cum hæc igitur omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, & pietatibus, expectantes

tes & properantes in adventum diei Domini, per quem cæli ardentes solventur, elementa verò ignis ardore tabescent? Habet staturam per Paulum qui nos à terrenis desideriis erigit, dicens: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est idolorum servitus.* Habet altitudinem cum promittit, dicens: *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Habet horribilem aspectum cum minatur, dicens: *In revelatione Domini nostri Jesu Christi de cælo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis, dantis vindictam his qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus.* Habet staturam cum nos admonet, dicens: *Videte, ne quis alicui malum pro malo reddat; sed semper quod bonum est sectamini invicem, & in omnes.* Habet altitudinem cum promittit, dicens: *Si commorimur, & convivemus: si sustinemus, & conregnabimus.* Et rursus: *Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Habet horribilem aspectum cum minatur, dicens: *Terribilis quidem expectatio judicii, & ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios.* Qui rursus ait: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Quæ omnia brevi quoque sententia stringit, dicens: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, sublimitas, & profundum.* Lata quippe est caritas, quia & inimicorum dilectionem capit, & per eam caritatem, qua nos omnipotens late diligit, etiam longanimiter

Colos. 3.
v. 5.

Vers. 4.

2. Thes. 1.
v. 7.1. Thes. 5.
v. 15.2. Tim. 2.
v. 11.Rom. 8.
v. 18.Hebr. 10.
v. 27.

Vers. 31.

Ephes. 3.
v. 18.

portat. Hoc ergo nos debemus exhibere proximis, quod indignis nobis à Creatore nostro conspicimus exhiberi. Latitudo itaque & longitudo ad staturam pertinet, quia per amorem mores dilatat, ut fraterna mala caritas longanimiter portet. Sublimitas autem est æternorum illa remuneratio præmiorum. De cujus immensitate dicitur:

1. Cor. 2. *Quod nec oculus vidit, nec aures audivit, nec in cor*
 v. 9. *hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus*
se. Habet ergo in sublimitate altitudinem, quia æterna Sanctorum gaudia nulla nunc prævalent cogitatione penetrari. Profundum quoque est illa inæstimabilis damnatio suppliciorum, quæ eos quos suscepit in imis demergit, in quibus sacra eloquia horribilem aspectum habent, quia inæstimabilem terrorem audientibus incutiunt, cum supplicia inferi loquuntur. Bene ergo dicitur: *Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus*, quia Scriptura Sacra in utroque Testamento, & admonendo recta est, & promittendo alta, & minando terribilis. Cetera verò, tam interiora, quam exteriora, occulta fuerunt, quòd involuta se invicem tegerent. Et utraque si per Christum non fuissent revelata, nequaquam per legem poterant intelligi, sicut dicit: *Signatum sigillis septem*, id est, omni mysteriorum plenitudine obseratum.

Cap. V. *Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna:*
 v. 2. *Quis est dignus accipere librum, & solvere signa ejus?* Angelus iste fortis, qui dicit inclamasse, inquirendo quis esset dignus qui aperiret librum, vel signa dissolveret, omnium Scripturarum vel Sanctorum Patrum Chorus habendus est, qui in divina admiratione conversi præsentium dispositionem temporum, vel cunctarum ordinem rerum, quæ universa Deo magistrante signata sunt, fidei oculis intuentes,

ope-

operatorem eorum Dominum majestatis intelligunt, & præconantur, & dicunt: Quis dignus est intelligere hæc omnia, & aperire secreta Domini, quæ in hac hebdomada mundi istius mirabili confirmatione disposuit, ordinatione sua fundavit, consilio statuit, virtute construxit? Perspicue tamen Christus hunc librum tunc aperuit, cum opus paternæ voluntatis adgressus, natus & passus est. Ecce librum apertum. Solvit autem tunc utriusque libri prædicta, ut quæ à Patriarchis & Prophetis de eo fuerant vaticinata, omnia in se compleret, & sic crucem ascenderet, perficiens prophetiam usque ad finem. Sequitur denique, & ostendit septem ipsa signa, ut Christus, qui caput est, quod ipse fecit, suo membro Ecclesiæ faciendum demonstraret. Et ipsa septem signa, quæ in Christo soluta sunt, id est, per omnem mundum manifestata, hæc sunt: Primum corporatio, secundum nativitas, tertium passio, quartum mors, quintum resurrectio, sextum gloria, septimum regnum. Hæc septem sigilla Ecclesia habet soluta, & hæc signa sunt actus Ecclesiæ, à passione usque ad adventum Domini, sicut promiserat, dicens: Veni & ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. *Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum.* Ex omnibus ergo creaturis, quæ sunt in cælis, in terra, & in abyssis, id est, neque justus, neque anima vivens, neque sepultus, potuit aperire librum, neque videre illum, id est, contemplari splendore gratiæ Testamenti novi, quod est Evangelium. Sicut filii Israel velatam faciem Moysi, id est, legis veteris Testamenti, Testamentum novum intus continentem, aspicere non potuerunt. *Et ego, inquit, flebam multum, quod ne-*

mo dignus inventus est aperire librum, nec videre illum. Fragilitatis & humanitatis conscius flebat hic Sanctus, quod in Ecclesia prævidebat, neminem esse tam dignum, qui aperte hæc omnia intelligeret, vel consideratione conspiceret. Nunc tamen Ecclesia plangit onerata, & gravata implorat sui redemptionem. *Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris: Ecce vicit leo de tribu Juda radix David aperire librum, & sigilla ejus.* Unus ex senioribus corpus totum Prophetarum dixit. Prophetæ consolabantur Ecclesiam, per Scripturas nuntiantes Christum de tribu Juda, radicem David, qui impleret Dei voluntatem, & Ecclesiam redimeret. Non enim obstat quod Joanni qui est omnis Ecclesiæ figura, hæc post Christi passionem ostensa sunt, quæ ante passionem facta sunt. Omnis enim qui recte credit Christum, videt etiam præterita jam facta, quæ adhuc nova ventura sunt, quæ ante Deum jam ventura sunt: & sic cognosces per Scripturas novissima prima, & prima novissima. Hæc omnia in Christo erant reservata, quia nos non poteramus salvi esse nisi per Christum, sicut scriptum est:

Rom. 5. Cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Multo magis ergo justificati in sanguine ejus salvi erimus per illum ab ira.

Sequitur & scribit, quomodo, & ubi vicerit, vel vincat leo de tribu Juda: propterea enim præterita refert, cum futura promiserit, quia subtiliter spiritus in specie genus abscondit, & præteritis futura demonstrat. Sicut Jacob filiis suis quidquid eis futurum erat præsentibus in benedictione demonstravit. *Et vidi in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem quasi occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spi-*

spiritus Dei missi in omnem terram. Ecce apertissime demonstravit Dominum nostrum Jesum Christum, quem non mortuum, sed quasi occisum propter passionem, & transactam dixerit mortem. Et *in medio throni* se vidisse hoc dicit, id est, in potestate & magnitudine deitatis. Et *quatuor animalium*, quod intelligitur in quadrifario Evangeliorum ordine. Et *in medio seniorum*, hoc est, legis & Prophetarum, vel Apostolorum, choros adsignat. Ibi hunc agnum non occisum, sed tamquam occisum, id est, qui & mortem vicerit, & calcaverit passionem, se vidisse testatur. Sed quia Patriarchas, Prophetas, & Apostolos Ecclesiam diximus, & hanc Ecclesiam corpus esse summi capitis Christi; hæc membra cum capite aliquando in Scripturis unus agnus nuncupatur: aliquando specialiter Christus, aliquando generaliter omnis Ecclesia. Et quod olim caput passum est, nunc in Ecclesia patitur per membra, quia suam Ecclesiam induit, quæ in eo veluti occisa est. Et quotidie occiditur Ecclesia pro Christo, ut cum eo vivat in æternum. Nemo autem putet solos Apostolos, aut Martyres, esse mortuos pro Christo, & jam cessasse martyrium, & persecutores in Ecclesia non esse. Et pro tempore Martyres fuerunt, & persecutores; & nunc Martyres sunt, & persecutores. Duo quippe sunt genera Martyrum: unum aperte per gladium, aliud in occulto per pœnitentiam: & hi sunt filii Apostolorum, quia eodem spiritu generati sunt. Persecutores verò horum, filii sunt eorum qui illos occiderunt: quia eodem spiritu generati sunt, & Christum in familia ejus occidunt, & agnus semper stans in medio seniorum per caput & usque in finem sæculi in membris occiditur. De talibus enim Apostolus dicit, apud illos Christum spi-

- ritualiter crucifigi. Quamquam hoc apertum non esset, manifestat, dicens : *O stulti Galatæ , quis vos fasci-*
navit , ante quorum oculos Christus crucifixus est?
 Hoc itaque à talibus patitur Ecclesia usque in finem, quod passa est ab initio. Necesse est enim semper
Marc. 8. v. 31. filium hominis in Jerusalem ire , & multa pati à se-
nioribus , & Principibus Sacerdotum , & Scribis , &
occidi , & post tres dies resurgere. Principes verò, quos dicit, potestates hujus sæculi vel Sacerdotes sunt, qui rectè in sua Ecclesia vivere nolunt. De his scrip-
Gen. 25. v. 23. tum est : Major serviet minori : id est , stultus ser-
viet prudenti : quia cum suffert Sanctus contumelias
à Principe , minori servire dicitur. Hic agnus semper occidi & per passionem se manifestari testatur. *Habentem , inquit , cornua septem , & oculos septem.* In cornibus potestas & virtus Christi est. In septenario numero mundi narrat statum, quem potenter regit, & cui potentissime dominatur. Oculos septem, septem dicit Spiritus, id est, Sanctum Spiritum, septem virtutibus graduum gloriosum manere in Domino nostro Jesu Christo significat. Sicut scriptum est:
Luc. 4. v. 1. Jesus autem plenus Spiritu Sancto. De hoc spiritu dona Ecclesiæ suæ distribuit per gratiarum donationes : non est enim in omni terra qui possit habere spiritum Dei, præter Ecclesiam.

Et venit , & accepit de dextera sedentis super thronum librum. Sed quis accepisse dicitur, diligentissime considerandum nobis est, atque dicendum. Revera agnus, id est, homo adsumptus, quia pro nostra salute se morti tradi voluntate dignatus est, hic accipit librum, id est, potestatem operum Dei : *de dextera sedentis in throno , à Deo Patre , cuncta sus-*
Joan. 16. v. 15. cipit , sicut ipse dicit : Omnia quæ habet Pater , mea
sunt.

sunt. Tunc accepit hunc librum, quando resurgens à mortuis mysterium à sæculis absconditum Trinitatis ostendit, & patefecit in mundo; & dedit potestatem gloriæ, dicens: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et quod ipse in illis perficiat quod donat, sic dicit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Cap. 20.
v. 21.

Matth.
28.v.20.

Et cum accepisset librum illa quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt ante Agnum; id est, ante Jesum Christum, qui cum ipso Agno sedet ad dexteram Dei. Thronus & animalia & seniores hoc totum Agnus sunt. Isti cadunt ante Agnum, id est, Christum incarnatum, qui mortuus est, & resurrexit. Sequentes vestigia ejus, humiliati in pœnitentia cadere dicuntur. *Habentes singuli citharas*, id est, corda laudantia. *Et phialas aureas.* Hæ sunt vasa in domo magna, vasa animæ sanctæ sunt. *Plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum: & cantabant canticum novum.* Conjuncta veteris Testamenti prædicatio cum novo populo christiano ostendit cantantem canticum novum, id est, confessionem suam publice conferentium. Novum est Dei filium hominem fieri. Novum est enim cum corpore ad cælos ascendere. Novum est remissionem peccatorum omnibus dare. Novum est Spiritu Sancto signare homines. Novum est Sacerdotium accipere sacræ observationis, & regnum expectare immensæ promissionis. Cithara enim chorda in ligno extensa, significat carnem Christi passionis ligno conjunctam, sive & fidelium Sanctorum corda laudantium. Phiala verò confessionem, & novi Sacerdotii propaginem, Angelo-

rum autem multorum immò omnibus (1) salus & testimonium universæ creationis Domino nostro referendum gratulationem liberationis omnium de clade mortis. Hæ phialæ ipsa sunt vasa in domo magna, quæ cantant canticum novum, dicentes: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signa ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & populo, & lingua, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus in terra.* Ostendit, animalia & seniores Ecclesiam esse, dum dicunt *redemisti nos in sanguine tuo*: ostendit in quo cælo sint ista animalia & seniores, dum dicunt *fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram*: ostendit præterea, Ecclesiam accipere librum in Christo, dum redempti ex omni populo, & tribu, & gente, & lingua, non dicunt *dignus es, & accepisti, sed dignus es accipere*: quæ enim accepit in Christo omnem potestatem in cælo & in terra cum resurgeret, ipsa accepit usque in finem per baptismum resurgens, & Christo semper adhærens. Et Dominus in ea perfecit quod inchoavit: & ipse coronatur in ea, quam coronat. Nihil est enim quod fecerit, aut habeat, sine suo corpore.

Et vidi & audiui vocem Angelorum multorum circa thronum, & circa quatuor animalia, & circa seniores. Quid sit thronus, animalia, & seniores, in quorum medio vocem audivit, ostendit. Hi Sancti Angeli intelliguntur: si enim filii Dei dicuntur, quare non dicantur

(1) *Burg. Cod.* hominibus. *Æmil.* omnibus. *Melius*, omnium. *Et ita apud Victorinum leges*: Phiala confessionem ex novi sacerdotii propagine, & Angelorum multorum, immò omnium. Et universæ dominationes Domino nostro referent jam gratiarum actionem liberationis hominum de clade mortis.

cantur & Angeli? *Et erat numerus eorum miriades miriadum, & millia millium.* Miriades græce dicuntur, quod est millia millium, utique innumerabilium. *Dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere potestatem, & divitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem: & omnem creaturam quæ in cælo, & quæ in terra, & sub terra, & quæ in mare, & quæ sunt in eis.* Numquid de Domino dixerunt: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere divitias & sapientiam, cum ipse sit thesaurus omnium, & sapientia Dei? Sed hanc potestatem de suo corpore, id est, pro Ecclesia dicit. Sed quia Ecclesia membrum est, transit in caput, dicens: Et omnem creaturam quæ est in cælo, & in terra. Quamvis nec hoc durum sit accepisse Ecclesiam: accepit certe, cum quo resurrexit. Si durum non est habere membra quod habet caput; nec illud injustum potest videri, quod dicit Ecclesia, dignum se omni creatura: quia & si unumquodque membrorum religiosa humilitate in hoc mundo se indignum judicat; totum corpus tamen participem esse dicimus capitis sui, sicut scriptum est: Cum illo omnia nobis donavit. *Omnes, inquit, audiivi, dicentes: Rom. 8. v. 34.* *Sedenti in throno, id est, Patri, & Filio, & Agno, id est, Ecclesiæ: Benedictio, & honor, & claritas, & sapientia in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant. Amen. Et seniores ceciderunt, & adoraverunt.* Ecclesia utique dicit Amen. Eadem animalia sunt seniores, qui postquam perhibuerint testimonium dicentes Amen, adorant descriptam Ecclesiam, & ejus officia describunt, & actus, ab initio usque in finem. Resignatio sigillorum, ut diximus. (1) *Explicit liber tertius.*

T 2

IN-

(1) Imperfecta hæc oratio potest, ex Victorini commentario (ex quo sumpta) compleri: Aperitio est veteris Testamenti, & prædicatorum præ-



INCIPIIT LIBER QUARTUS

DE SEPTEM SIGILLIS.

Cap. VI. **E**T vidi cum aperuisset Agnus unum ex septem sigillis, audiui unum ex quatuor animalibus, dicens, sicut vocem tonitruī: Veni & vide. Et ecce equus albus, & qui sedebat super eum, habens arcum, & data est ei corona, & exiit vincens ut vinceret. Et cum aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal, dicens: Veni & vide. Et ecce equus alius roseus, & sedenti super eum dictum est tollere pacem de terra, ut invicem se occiderent, & datus est ei gladius magnus. Et cum aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal, dicens: Veni & vide. Et ecce equus niger, & qui sedebat super eum habebat in manu sua stateram. Et audiui vocem de medio quatuor animalium dicentium: Bilibris erit tritici denario, & tres bilibres hordei denario, vinum & oleum ne læseris. Et cum aperuisset quartum sigillum, audiui quartum animal, dicens: Veni & vide. Et ecce equus palidus, & qui sedebat super eum nomen erat illi mors, & infernus sequebatur eum; & data est ei potestas super quartam partem terræ, interficere gladio, fame, morte, & bestiis terræ." *Finit.*

prænuntiatio in novissimo tempore futurorum: quæ licet Scriptura prophetica per singula dicit, omnibus tamen simul apertis sigillis, ordinem tamen suum habet prædicatio: nam aperto primo sigillo, &c. ut statim sequitur infra, in explanatione.

INCIPIT EXPLANATIO LIBRI QUARTI de Equo albo.

APERTO primo sigillo, cum dicat, & vidisset (1) equum album, & equitem, & coronam, habentem in manu sua arcum: Hoc enim primum factum est: postquam enim in cælum ascendit Dominus, & aperuit universa, misit Spiritum Sanctum, cujus verbo prædicatores tamquam sagittæ ad cor humanum pergentes evincerent incredulitatem. Corona autem super caput prædicatoribus est repromissa per Spiritum Sanctum. Ideoque ait, unum de animalibus dixisse, quia omnia quatuor unum sunt. *Veni, & vide:* Veni dicitur invitato ad fidem: *Vide* dicitur ei qui non videbat. Ergo equus albus verbum est prædicationis cum Spiritu Sancto in orbem missum. Ait enim Dominus: Prædicabitur hoc Evangelium per totum orbem terrarum, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. *Et cum aperuisset sigillum secundum, audi-vi secundum animal, dicens: Veni, & vide.* *Et exiit alius equus roseus, & sedenti super eum datum est tollere pacem de terra, ut invicem se occiderent, & datus est ei gladius magnus.* Equus roseus, & qui sedebat super eum habens gladium, bella sunt significata futura. Sicut in Evangelio legimus: *Surget enim gens contra gentem, & regnum adversus regnum, & erunt terræmotus magni.* Gens quod dicit contra gentem, id est, populus surget contra populum. Regnum verò adversus regnum, id est, Ec-

Matth.
24.v.14.

Luc. 21.
v. 10.

T 3

cle-

(1) Apud Victorinum, Aperto primo sigillo, dicit se vidisse equum, &c.

clesia adversus Ecclesiam : quia illi qui sub nomine religionis Ecclesiam se simulant , semper contra Ecclesiam pugnant. Hi in equo roseo sedent : contra victricem in equo albo vincentemque Ecclesiam exeunt , & pugnant contra eam. Quia cum eis scribuntur , qui aperte sanguinem innocentem fundunt. Sic generaliter in equo roseo in specie absconduntur , quæ in uno membro equus roseus nuncupatur. Hic equus populus sinister dicitur ex sessore suo diabolo sanguinolentus. Quamvis & Propheta Zacharias equum Domini roseum dicat : sequitur & describit specie omne corpus Martyrum. Sed ille suo sanguine est rubeus : iste verò alieno , cui datus est gladius magnus tollere pacem de terra. Revera suam pacem tollet , quia spem suam in terra habet : Ecclesia verò æternam habet pacem , quam ei Christus reliquit , cum dicit : *Pacem meam do vobis : pacem relinquo vobis : non quomodo mundus dat pacem do vobis.* Gladium autem generaliter in omnes dicit ; non solum aperte in occisione , sed etiam spiritualiter unus alterum per exemplum mortis occidit. *Per peccatum enim mors* , sive in eos quos in morte , sive quos in vita interficit. Et terram diaboli , id est , corpus ejus invicem multiformiter occidit , dum ad mortalia alter alterum provocat. *Et cum aperuisset tertium sigillum , audiivi tertium animal , dicens : Veni , & vide.* Et ecce equus niger , & qui sedebat super eum habebat in manu sua stateram. *Et audiivi vocem de medio quatuor animalium dicentium : Bilibris tritici denario & tres bilibres bordei denario , vinum & oleum ne læseris.* Equus niger famem significat intra Ecclesiam spiritualem , & quod per malos præpositos verbum prædicationis parvulis minime præbeatur. Sicut scriptum est : *Parvuli petierunt*

Ex Anonymo a-
pud Aug.

Zachar.
1. v. 8.

Joan. 14.
v. 27.

Rom. 5.
v. 2.

Thren. 4.
v. 4.

runt panem, & non erat qui frangeret eis. Et quia Dominus suam Ecclesiam per mundum habet diffusam, ut eam semper ostenderet, ait: *Erunt fames per loca*. Proprie autem extenditur verbum usque ad Antichristi tempus, quando grandis fames est futura, quando & omnes lædentur. Statera autem in manu libra est examinis: in qua singulorum merita ostendet, id est, justitiæ simulationem, cum foras ostendit quod intus non habet: ait enim: *Vinum & oleum ne læseris*. Dum autem in medio animalium dicitur *ne læseris*, ostenditur illic intra Ecclesiam esse simulationem sanctitatis, quæ Ecclesiam spiritualiter lædit, quia infirmas mentes ad suam sectam perducit: cui tamen dicit: *Ne læseris*, acsi dicat, hominem spiritualemente plagis percuseris. Describit enim mysterium facinoris, & *spiritualia nequitie in cælestibus*, quibus non permittitur, neque in se propter alios, neque in aliis observantibus virtutem sacramentorum posse violare. Oleum verò & vinum unctionem & sanguinem Domini dicit: in quo fuerit, lædi minime potest. In tritico autem & hordeo Ecclesiam dixit, sive in magnis, sive in minimis, id est, sive in Episcopis & populis. Non est autem minus una bilibris à tribus. Bilibra enim unus modius est, & tres libræ tres modii sunt: quia & in unione perfectio est, & in Trinitate similiter. Sic Dominus in farinæ mensuræ satis tribus, id est, tribus semodiis fermentum dicit absconditum. Quod si hoc in mysterio non esset, non debuerat dicere absconditum. Nec per alium Evangelistam farinæ mensuram nominaret. Ostendit fermentum, id est, doctrinam ex modico, omnem populum sacri numeri, quod est Trinitas, implere. Sed & pretium docet unum esse triticum & hordeum. Si enim pusilli sunt & magni, quod

Luc. 21.
v. 11.

Ephes. 6.
v. 12.

Matth.
13. v. 33.

merito in sanctitate unus præcellat alterum, utrique uno denario, id est, perfecto pretio redempti sunt. Quod si gratia per spiritum donationis discernitur, pretium tamen æquat & meritum. Sive magnos & minimos, id est, Episcopos & populos, unum corpus ostendit.

Matth.
14.v.20.

Apostoli etiam in hordeo figurati sunt, cum reliquæ operum Christi fuissent duodecim cophini, qui sunt corpus præpositorum, id est, Apostolorum, & omnium Episcoporum, qui in Apostolorum numero nuncupati sunt, & post præpositos septem sportæ, quæ sunt corpus septiformis Ecclesiæ. Uterque enim numerus sanctus est, & uterque perfectum numerum dicit. Nam & cophini & sportæ plenæ reliquiarum ostendit & operationis Christi reliquias, id est, novissimi temporis Ecclesiam, ut sive in Episcopis, sive in populis, nullo modo possit minorari, sicut secundum Joannem jussit ex

Joann. 6.
v. 12.

ipsis reliquiis nihil omnino deperire. Quod si aliquis calumniator contra hæc dicit: Quid enim si secundum virtutem non de hordeaceo, sed de tritico sufficiebat pro reliquiis septem superasse sportas? Nobis tamen magis proficit *quam* aliena curiositas, utramque materiam nunc esse completam in Ecclesia: ut sicut in hordeo ostendit duodecim Apostolos; ita & in tritico, septiformes populos: ubique enim septenarius numerus plenitudo est ejus rei de qua agitur. Sicut in figura Ecclesiæ sub Israelita persecutore dictum est: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.*

3. Reg.
19.v.18.

In quarto equo describit simulationem & hypocrisin manifestatam. *Et cum aperuisset quartum sigillum, audiivi quartum animal, dicens: Veni & vide. Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen erat illi Mors, & infernus sequebatur eum. Et data est ei*

potestas super quartam partem terræ interficere gladio, fame, morte, & bestiis terræ. Duæ partes sunt in mundo, populus Dei & populus diaboli. Nam diaboli populus in duas divisus est partes, id est, in Christianos & Paganos. Duæ itaque hæ partes contra unam pugnant, id est, contra Ecclesiam. Propterea Ecclesia vocata est tertia pars, & falsi fratres intra Ecclesiam est altera tertia, & gentilitas foras Ecclesiam est, quæ dicitur tertia. Quod in sequenti loco apertius manifestabimus. Quia antequam ubique homo peccati reveletur, & publicè manifestetur filius perditionis, Antichristus, in has tres partes jam in Ecclesia ex parte revelatus est: & ubi tres partes videbantur, jam quarta pars in Ecclesia manifestata est, id est, Ecclesia, gentilitas, schisma, & falsi fratres. Non enim omnem malum amovet Ecclesia, sed aliquos aperte malos, ad ostendendum orbi genus novissimæ persecutionis. Ceteros verò, hypocritas & schismaticos unanimiter tolerat: licet spiritualiter foris sint, tamen intus laborare videntur. Oportet enim tales intra Ecclesiam esse, ut probati manifesti fiant. In illis ergo locis in quibus duæ partes videntur, id est, Ecclesia & gentilitas, apud aliquos tres partes sunt, apud nos autem quatuor sunt. De quibus ut quæstionis nodum solvamus, aurem cordis apponite. Nempe etenim duo populi videntur esse in mundo, id est, baptizati & pagani, quæ utraque partes aperte inter se in fide dissentiunt; & una foras, alia intus esse videtur. Quamobrem hæc pars, quæ intus esse videtur, generalis Ecclesia nominatur. De hac generali Ecclesia, quæ una esse videtur, tres partes majores nostri esse dixerunt, extra eam quam jam foras projecimus. De his tribus partibus, quæ intus videntur esse, una est Dei, duæ verò diaboli. Dia-

bo-

1. Cor. 11
v. 19.

boli schisma est , & falsi fratres ; & Ecclesia est , quæ est pars Dei. Hæ duæ partes intro videntur esse , sed foras sunt. Et si est schisma in aliquibus Provinciis , sed aut in unam civitatem , aut non multo plus. Non de his dicimus , quæ per universas Provincias loca sancta occupaverint , & polluerint , quæ aperte patitur Ecclesia. Neque ceteras hæreses Ecclesiæ partes , aut diversa stultitiæ genera , & exiguas hæreses , & numerosas , non computamus ; sed solum schisma & falsos fratres. Jam supra diximus , schisma abscisura animorum vocata. Ita credit , & ita vivit sicut ceteri Sancti ; sed suo consilio vivit , & ab Ecclesia semper delectatur separari consilio. Falsi tamen fratres hypocritæ nominantur : sed neque ipsam aperte Ecclesiam devastant , sed sancti videntur esse , & sancti non sunt. Non ideo autem hypocrisis pars non erit diaboli , pro qua re Ecclesiam non aperte devastat , cum Apostolus dicat : Tota virtus diaboli contra sanctos spiritualis est , & in spiritualibus nequitii consistit. Et Dominus in Evangelio pro eadem causa aperte nos admonet : *Exurgent , inquit , pseudo-*

Christi , & pseudo-Prophetæ , & dabunt signa magna , & prodigia , ita ut errent , si fieri potest , etiam electi. Vos autem cavete : ecce prædixi vobis. In hanc ergo quartam partem data potestas est diabolo , sedenti super equum pallidum , qui est populus mortuus , interficere gladio , & fame , & morte , & bestiis terræ. Gladio aperte dixit occisionem. Famem autem & mortem spirituales esse intra Ecclesiam , quod aliquos illic sine recordatione defunctos mortem ex ipsa quarta dejecerit. Ceteri verò de Ecclesia , qui inter eos captivos se ingemiscunt , plenam vitæ spem gerunt purgationem per Daniele promissam , ut quasi aurum in igne probentur. Bestiis autem de omnibus malis hominibus dixit. Jam

&

Ephes. 6.
v. 12.

Matth.
24. v. 24.

& ista quarta est intra Ecclesiam ; & has bestias ceteros sub nomine christianitatis , qui sæculares esse dicuntur , omnes omnino accipimus : quia non tantum potestatibus solis , quæ à Deo ordinatæ sunt , sed omnibus omnino malisque grassantibus traditi sumus. Sicut Propheta orabat : *Ne tradas bestiis animas confitentium tibi.* Hæ quatuor partes in tres equos sunt. Unde & has bestias in omnibus malis subjectæ formulæ (1) picturarum demonstrant. Isti autem tres equi unum sunt , qui exierunt unde albus exiit , & contra album pugnant , & unum sessorem habet diabolum , qui est *Mors* ; sicut & Dominus *Vita* dictus est. Huic generaliter dixerat datum gladium magnum , cujus equitis vel gladii speciem describit in duobus , id est , in nigro , qui libram tenet , & lædit per subtilem simulationem quæ sunt opera tenebrarum : in altero verò , revelatam hypocrisin , id est , simulationem , quæ est abominatio vastationis , occidente gladio , fame , & bestiis terræ. Et si in Africa , ubi hæc fieri ex quarta intelligimus , non eo fit , quod hypocritæ revelentur qui jam dum cum Ecclesia appellarentur revelati sunt : sed quod in Africa geritur , exemplum est per orbem futuræ revelationis Antichristi , quæ nunc sub libra , id est , sub religione , manu prolata opera iniquitatis exercet. Hypocrisis enim subtilis est , & vix à sapientibus deprehenditur : Hypocrisis autem non potest dici ex quo foras exierit. Hos ergo sequitur infernus , qui eos expectat post hujus operis consummationem. Hos autem equites diabolos esse & suos , sexto sigillo manifestat , dum prælio ultimo equos dicit congregari. Et Joel Propheta de eodem populo ait : *Sicut visus equorum facies eorum,*

Psal. 73.

v. 19.

Joel. 2.

v. 4.

(1) Nulla hic formula picturæ , cum multæ alibi in Codicibus sint.

Habac. 3.
v. 8.

rum, sicut equi ita persequentur: & sicut vox currum super vertices. Equum istum dominicum, qui est Ecclesia, Abbacuc Propheta multos esse declarat, & per eos esse in mundo dicit Dei iram & salutem, & ipsas aquas multas Domino sessore turbari, sicut dicit: *Numquid in fluminibus irasceris Domine, aut in fluminibus indignatio tua, aut in mari impetus tuus? Quoniam conscendes equos tuos, & equitatio tua salus: intendes arcum super sceptrum, & pones in mari equos tuos turbantes aquas multas.* Hæc eadem quoque in equo pallido inter ceteras clades promisserat Dominus venturas pestes magnas, & mortalitates spirituales. Cum enim dicit, *& infernus sequebatur illum*, id est, expectat devorationem animarum multarum impiarum. Hic est equus pallidus. Quinto autem sigillo inducit animas tam in quatuor partibus, quam in toto mundo occisorum, secundum Deum postulare vindictam. Et hoc modo ostendit novissimo, id est, tempore, postulare, dum dicunt: *Quousque non iudicas?* Et modicum superesse, dum modico adhuc tempore spectare jubentur. Nam post quintum inducit novissimum certamen in sexto. *Explicit explanatio quatuor equorum.*

INCIPIT HISTORIA DE ANIMABUS occisorum in libro quarto.

Cap. VI.
v. 9.

ET cum aperuisset quintum sigillum, vidi sub ara Dei animas interfectorum propter verbum Dei & testimonium Jesu, quod habebant: & clamabant voce magna, dicentes: Quousque Domine, Sanctus, & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Et datae sunt illis singulae stolæ albæ: Et dictum est illis,
ut

»ut requiescant adhuc brevi tempore, quousque com-
 »pleatur numerus conservorum eorum, & fratrum eo-
 »rum qui occidentur sicut & ipsi.»

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ in libro IV.

ET cum aperuisset; inquit, quintum sigillum, vidî
 sub ara Dei animas occisorum propter verbum
 Dei & testimonium Jesu, quod habebant & clama-
 bant, dicentes, &c. Animas occisorum se vidisse sub
 ara dicit, id est, sub terra. Ara enim & cælum &
 terra dicitur, sicut lex ait, imaginaria veritatis fa-
 cie meditantes: quia duas aras aureas, intrinsecus &
 extrinsecus fecerunt. Nos autem intelligimus aram ita
 dici, Domino nostro nobis testimonio perhibente. Ait
 enim: Cum offers munus tuum ad aram; & utique
 munera nostra orationes sunt, quæ offerimus: Et ibi
 recordatus fueris habere aliquid cum fratre tuo ad-
 versus te, relinque ibi munus tuum ante aram: uti-
 que ad cælum ascendunt orationes. Si ergo cælum in-
 telligitur ara aurea, quæ erat interior (nam & sacerdo-
 tes semel in anno introibant, qui habebant chrisma, ad
 aram auream, significante Spiritu Sancto Christum hoc
 semel facturum); sic & ara ærea terra intelligitur, sub
 qua est infernus, remota à pœnis, & ignibus, regio
 & requies Sanctorum: in qua quidem ab impiis vi-
 dentur & audiuntur justî, & neque illic transvectari
 possunt. Hos ergo tantum, id est, animas occisorum
 expectare vindictam sanguinis sui, id est, corporis
 sui, de habitantibus super terram, voluit nos cog-
 noscere qui omnia videt. Sed quia in novissimo tem-
 pore & Sanctorum remuneratio perpetua, & impio-
 rum

Matth.
5. v. 23.

Ex Vic-
torino.

rum ventura est damnatio, dictum est eis: *Expectate, & pro corporis sui solatio datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis ut resquiescant adhuc brevi tempore, quousque compleatur numerus conser-
vorum eorum, & fratrum eorum qui occiduntur sicut & ipsi.* Hoc ergo nobis solleter intuendum est, quid sit quod Deus ad animas loquatur, aut animæ Sanctorum ad Deum, aut Angeli ad Deum loquantur, aut Deus ad Angelos, aut ad diabolum Deus loquatur, cum dicit: *Unde venis?* aut diabolus ad Deum respondeat, cum dicat: *Circuivi terram.* Discutienda quippe est quænam sit ista locutio. Neque enim vel à Domino qui summus atque incircumscriptus est spiritus, vel à Satan qui nulla est carne à natura vestitus, humano modo aëris flatus folle ventris adtrahitur, ut per organum gutturis vocis expressio reddatur. Sed dum naturæ invisibili, natura incomprehensibilis loquitur, dignum est ut mens nostra qualitatem corporeæ locutionis excedens, ad sublimes atque incognitos modos locutionis intimæ suspendatur. Nos namque ut ea quæ sentimus extrinsecus exprimamus, hæc per organum gutturis & per sonum vocis ejicimus. Alienis quippe oculis intra secretum mentis quasi post parietem corporis stamus. Sed cum manifestare nos metipsos cupimus, quasi per linguæ januam egredimur, ut, quales sumus, extrinsecus ostendamus. Spiritualis autem natura non ita est, quæ ex mente & corpore composita dupliciter non est. Sed rursus sciendum est, quia ipsa etiam natura incorporea cum loquitur, ejus locutio nequaquam unâ atque eadem qualitate formatur. Aliter enim loquitur Deus ad Angelos, aliter Angeli ad Deum, aliter Deus ad Sanctorum animas, aliter Sanctorum animæ ad Deum, aliter Deus

ad diabolum, aliter diabolus ad Deum. Nam quia spiritali naturæ ex corporea oppositione nihil obstat, loquitur Deus ad Angelos Sanctos eo ipso quo eorum cordibus occulta sua invisibilia ostendat, ut quidquid agere debeant in ipsa contemplatione veritatis videant. Et velut quædam præcepta vocis sint ipsa gaudia contemplationis. Quasi enim audientibus dicitur quod videntibus inspiratur. Unde cum eorum cordibus Deus contra humanam superbiam animadversionem ultionis infunderet, dicit: *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Dicitur eis qui adhærent, (1) *Venite*: quia nimirum hoc ipsum numquam à divina contemplatione decrescere, in divina contemplatione semper ad Crescere est: & numquam corde recedere, quasi quodam stabili motu est semper venire. Quibus & dicit: *Descendamus, & confundamus linguam eorum.* Ascendunt Angeli in eo quod creatorem conspiciunt: Descendunt Angeli in eo quod creaturam sese in illicitis erigentem examine distractionis premunt. Dicere ergo Dei est: *Descendamus, & confundamus linguam eorum*, in semetipso eis hoc quod recte agatur ostendere; & per vim internæ visionis eorum mentibus exhibenda iudicia occultis motibus inspirare. Aliter loquuntur Angeli ad Deum, sicut per hanc Joannis Apocalypsin dicunt: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem & sapientiam & divinitatem.* Vox namque Angelorum est in laude conditoris ipsa admiratio intimæ contemplationis. Virtutis divinæ miracula obs-

Gen. 11.
v. 7.

(1) Burg. Codex, & veteres S. Gregorii editiones super Job, qui aderant. Amilianensis verò Codex, & novissima Parisiensis editio, qui adhærent.

tupuisse, dixisse est: quia excitatus cum reverentia motus cordis, magnus est ad aures incircumscripti spiritus clamor vocis. Quæ vox se quasi per distincta verba explicat, dum sese per innumeros modos admirationis format. Deus ergo Angelis loquitur, cum eis voluntas ejus intima videnda manifestatur. Angeli autem loquuntur Domino, cum per hoc quod super semetipsos respiciunt, in motum admirationis surgunt. Aliter Deus ad Sanctorum animas, aliter Sanctorum animæ loquuntur ad Deum. Unde in Joannis rursus Apocalypsi dicitur: *Vidi subter altare animas interfectorum propter verbum Dei, & testimonium Jesu quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: Usque quo Domine, Sanctus & verus, non judicas, & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Ubi illico adjungitur: Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conservorum, & fratrum eorum.* Quid est enim animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremi judicii & resurrectionem extinctorum corporum desiderare? Magnus quippe earum clamor, magnum est desiderium. Tanto enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat. Et tanto majorem vocem in aures incircumscripti spiritus exprimit, quanto se in ejus desiderium plenius fundit. Animarum igitur verba, ipsa sunt desideria. Nam si desideria sermones non essent,

Psal. 9. Prophetæ non diceret: Desiderium cordis eorum exaudivit auris tua. Sed cum aliter moveri soleat mens quæ petit, aliter quæ petitur, & Sanctorum animæ ita interni secreti sinu Deo inhæreant, ut inhærendo quiescant; quomodo dicuntur petere, quas ab interna voluntate constat nullatenus discrepare? Quomodo di-

cun-

cuntur petere, quas & voluntatem Dei certum est, & ea quæ futura sunt non ignorare? Sed in ipso positæ, ab ipso aliquid petere dicuntur, non quo quidquam desiderent, quod ab ejus quem cernunt voluntate discordet; sed quo mente ardentius inhærent, eo etiam ab ipso accipiunt, ut ab ipso petant quod eum facere velle noverunt. De ipso ergo bibunt quod ab ipso sitiunt, & modo nobis adhuc incomprehensibili, in hoc quod petendo esuriunt, præsciendo satiantur. Discordarent ergo à voluntate conditoris, si quæ eum viderent non velle expeterent, eique minus inhærent, si volentem dare desiderio pigriori pulsarent. Quibus responsum divinum dicitur: *Requiescite, tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus Sanctorum, & fratrum vestrorum.* Desiderantibus animabus *requiescite adhuc modicum* dicere, est inhiantes ardore desiderii ex ipsa præscientia solatium consolationis accipere: ut & animarum vox sit hoc quod amanter desiderant, & respondentis Dei sermo hoc quod eas retributionis certitudine inter desideria confirmat. Respondere ejus est, ut collectionem fratrum expectare debeant, eorum mentibus libenter expectandi moras infundere, ut cum carnis resurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum fratrum augmento gratulentur. Aliter Deus loquitur ad diabolum, aliter diabolus ad Deum. Loqui enim Dei ad diabolum, est vias ejus ac negotia animadversione occultæ districtiōnis increpare, sicut illi dicitur: *Unde venis?* Diaboli autem ei respondere, est omnipotenti majestati ejus nihil posse celare: unde hic ait: *Circuivi terram, & perambulavi eam.* Quasi enim dicere ejus est, quid egerit scire, & omnes actus suos illius oculis occultare non posse. Sciendum verò est, quia

sicut hoc loco discimus, quatuor modis loquitur Deus ad diabolum: tribus diabolus ad Deum. Quatuor modis loquitur Deus ad diabolum, quia & injustitias ejus arguit, & electorum suorum contra illum justitiam proponit, sicut ait: *Considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis super terram?* Tentandam eorum innocentiam concedendo permittit, sicut dicit: *Ecce universa quæ habet in manu tua sunt.* Rursumque eum à tentatione prohibet, cum dicit: *Tantum ne extendas in eum manum tuam.* Tribus autem modis loquitur diabolus ad Deum, cum vel vias suas insinuat, vel electorum innocentiam fictis criminibus accusat, vel tentandam eandem innocentiam postulat. Vias quippe suas insinuat, cum ait: *Circuivi terram, & perambulavi eam.* Electorum innocentiam accusat, cum dicit: *Numquid frustra Job timet Deum? Nonne tu vallasti eum, & domum ejus, universamque substantiam per circuitum?* Tentandam eandem innocentiam postulat, cum dicit: *Extende manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Sed dicere Dei est, unde venis? sicut & supra insinuavimus, vi suæ justitiæ itinera malitiæ ejus increpare. Dicere Dei est: *Considerasti servum meum Job, quod non sit similis ei in terra?* Tales electos suos justificando facere, quilibet nimirum apostata Angelus possit invidere. Dicere Dei est: *Ecce universa quæ habet in manu tua sunt,* ad probationem fidelium contra eos occulta vi incursum illum suæ malitiæ relaxare. Dicere Dei est: *Tantum in eum ne extendas manum tuam,* ab immoderatæ tentationis impetu, eum etiam permittendo, restringere. Dicere autem diaboli est: *Circuivi terram, & perambulavi eam,* velocitatem suæ malitiæ invisibilibus ejus oculis occultare non posse. Dicere diaboli est: *Num-*
quid

quid sine causa Job timet Deum? Contra bonos intra cogitationum suarum latibula conqueri, eorumque profectibus invidere, atque invidendo reprobationis rimas exquirere. Dicere diaboli est: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet*, ad afflictionem bonorum malitiæ æstibus anhelare. Quo enim eorum tentationem invidens appetit, eo illorum quasi probationem deprecans petit. Quia igitur internarum locutionum modos succinctè diximus, ad intermissum paululum expositionis ordinem revertamus.

INCIPIT HISTORIA SIGILLI SEXTI IN LIB. IV.

“**E**T vidi cum aperuisset sextum sigillum, terræmotus factus est magnus, & Sol factus est niger, ut saccus cilicinus; & Luna tota facta est sicut sanguis: & stellæ ceciderunt in terram, sicut ficus magno vento agitata emittit grossos suos. Et cælum recessit ut liber involutus: & omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt: & Reges terræ, & Magistratus, & Tribuni, & fortes, & omnis servus, & liber, abscondunt se in speluncis, & in petris montium. Et dicunt petris & montibus: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis supra thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ eorum; & quis poterit stare?”

Cap. VI.
v. 12.

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ in libro IV.

ET vidi cum aperuisset sextum sigillum, terræmotus factus est magnus, & factus est Sol niger tamquam cilicium. In hoc sigillo persecutio est novissi-

ma: & *Sol factus est niger ut cilicium*, & *Luna tota facta est sicut sanguis*, & *stellæ ceciderunt in terra*. Sol, Luna, & stellæ Ecclesia est, quæ lumen veritatis ministrat: quia sicut tenebras ignorantiam dicimus, ita & lumen scientiam nuncupamus. Et has duas causas lumen & tenebras in una Ecclesia esse videmus. Per lumen sapientes, qui rectè intelligunt, rectè credunt, & rectè operantur, per tenebras ignorantes intelligimus, id est, hæreticos, hypocritas, & schismaticos. Et ipsi videntur esse quasi stellæ, eo quod sanctitatem simulant, & non habent. Et in hos duos ordines, id est, luminis & tenebræ, est dies & nox. Dies est Ecclesia, & nox ignorantia. Quod dicit factum Solem tamquam cilicium, id est, incredulis obscurabitur splendor doctrinæ. Quod est Sol, hoc est Luna, hoc stellæ, id est, Ecclesia. Sed à toto pars intelligitur. Totum autem dicitur, quia in toto orbe erit novissimus terræmotus, dum venerit Antichristus. Ante adventum verò ejus non in toto mundo, sed per loca, sicut scriptum est: *Per loca terræmotus erunt: Sol nigrescet, Luna sanguinea fiet, stellæ cæli cadent in terra*. Hoc totum simulatio est sanctitatis, eo quod à Sanctis in sua simulatione deprehenduntur, & cum ab eis separantur, obscurari & cadere dicuntur. Similitudo plane sanctitatis Solis, & Lunæ, & stellarum, id est, hypocrisis, & religio falsa; hæc autem omnia Joannes Sanctus in cælo nostro positus, id est, in Ecclesia, vidit. In superiore enim cælo quod initium vocatur, stellas videre non potuit, quæ sub cælo sunt. Hoc in Ecclesia modò agitur. In novissimo verò Antichristi adventu, Luna quod dicit facta est sanguis, Ecclesia Sanctorum ostenditur pro Christo sanguinem fundere. Stellas quas dicit cadere, id est, fideles perturbari. *Sicut ficus magno vento agi-*

Matth.
24. v. 7.
& 29.

tata emittit grossos suos. Arborem fici Ecclesiæ comparavit, quæ in asperitate pœnitentiæ vivit. Quia sicut arbor ficus multos habet pomos, bonos & malos; ita & Ecclesia bonos habet & malos. Solet enim ficus primitus grandis videri inter alios, & multos ab aura turbatos videmus, qui foris boni videntur, sed de intus mali sunt. Mox ut tacti fuerint à valido vento, protinus in terram cadunt. Pro ipsis dicit quemadmodum ficus agitata jactat grossos suos, id est, ficos vanos, qui boni videbantur, & non erant. Hoc totum quare diximus? quia tales sunt hypocritæ, & simulatores intra Ecclesiam. Qui in tempore pacis uni esse videntur cum Ecclesia; sed mox ut persecutionis tempus advenerit, excutiuntur ab Ecclesia, sicut ficus vento agitata emittit grossos suos. *Et cælum recessit ut liber involutus.* Cælum semper Ecclesiam intelligimus; quod terræmotu facto recedere, id est, de medio fieri, & intra sese sancti sola nota (1) contineri, sicut liber involutus. Liber enim involutus quid intus lateat à nemine scitur, nisi extensus legatur. Cùm verò plicatur, impossibile est eum legere quempiam vel intelligere. Et si quis eum non cognoverit, licet pedibus conculcetur, aut ferro incidatur, nihil ei obest, quia pro nihilo æstimatur. Ita erit Ecclesia in adventu Antichristi. Cælum erit involutum ut liber, quia omnia Scripturarum prædicamenta cessabunt. Et Sancti, qui eo tempore fuerint, conculcabitur, & ferro trucidabuntur, quasi liber involutus, ut arbitrentur se obsequium præstare Deo non cognoscentes quid in libro intus, id est, in Sanctis, sit. *Et*

(1) Restitui ad verum sensum hæc possunt ex Anonymo apud Augustinum Homil. 6. in Apocal. ubi sic inquit: Ecclesiam dicit, quæ à malis recedit, & intra se sibi soli nota mysteria continet, sicut liber involutus.

*omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt. Cælum & montes & insulæ, hoc totum unam Ecclesiam dixit, facta novissima persecutione Antichristi omnem de loco suo recessisse. Sed potest in utramque partem convenire, id est, in bonos & malos. Quia bona pars movebitur de loco suo fugiens: & mala pars movebitur de loco suo, id est, perdet gratiam, aut si charismata videbatur habere, quia publicè pœnitentiam noluit agere, sicut supra dictum est: *Movebo candelabrum tuum de loco suo, si non egeris pœnitentiam.* Et iterum: *Transferentur montes in cor maris.* Montes Apostolos dicit: Mare, sæculum. Ostendit in ea persecutione confugere ad montes, ad eos qui de locis suis recesserunt, id est, ad Sanctos, qui in fide perstiterunt. *Et Reges terræ, & Magistratus, & Tribuni, & fortes, & omnis servus, & liber.* Hi Reges, & omnes quos dicit, Sancti sunt, à minimo usque ad maximum, qui eo tempore fortes steterunt in persecutione Antichristi. Non immerito Reges & potentes nuncupantur, qui impiissimo colla non submitunt. Ceterum qui tunc Reges erunt in mundo, præter unum persecutorem Antichristum, hi ante eum fugiendo, locum tuitionis & occultationis quærent, sicut dicit: *Absconderunt se in speluncis, & in petris montium.* Hos montes non tantum perspicue istos quos videmus dicunt, sed Christum, & Sanctos Patres implorant, & suffragium ab eis accipere*

postulant. Sicut scriptum est: *Habitabit in spelunca petræ fortis.* Spelunca & petra unum est. *Et dicunt petris & montibus: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni; quoniam venit dies magnus iræ eorum; & quis poterit stare?* Cadere super nos verbum est totum misericordiæ affectum postulantis, & quodammodo totum illum,

Psal. 45.
v. 3.

Isai. 2.
v. 19.

illum, qui rogatur, in misericordiæ viscera transire deprecantis, sicut scriptum est: *Cecidit super collum ejus, & flevit.* Et iterum: *Cadat misericordia tua super me.* Id est, satis tua misericordia me adprehendat atque contegat. Abscondite autem dixerunt, ut homo vetus & peccator à Dei oculis abscondatur. Quia in homine peccatore nunc latent peccata, & Deus miserator semper ad pœnitentiam spectat. Nos per singulos dies peccamus, & ille per singulos dies non irascitur. Et ab ira Dei peccata nostra ejusdem Dei miseratione contegimus, sicut scriptum est: *Beati quorum tecta sunt peccata.* Peccata enim tegimus cum bona facta malis actibus superponimus. Et iterum: *Caritas tegit multitudinem peccatorum.* Hujusmodi namque refugium Deus manifestat, cum ab ira sua abscondi peccatores hortatur, dicens: *Et nunc intrate petram, & abscondite vos in terram à facie timoris Domini, & à claritate fortitudinis ejus.* Hanc terram quam dicit, sanctam, id est, corpus Christi. Nam quomodo in alteram terram, nisi in ipsam quam dicit, confugere terram? Et iterum: *Omnia manufacta abscondent, inferentes in speluncas & in cavernas petrarum, & in scisuras terræ à facie timoris Domini, cum surrexerit confringere terram.* Non idola dixit abscondere, sed ipsos homines qui in cordibus suis idola portant, & hoc modo idola sepelire, id est veterem hominem abscondere, & novum induere, & in Christo petra se abscondere. Hic quasi recapitulat, & ante persecutionem admonet, & omnes ad pœnitentiam provocat: sequitur enim, & exponit idola expellere, ut ipsi intrent in petram, dicens: *In illo enim die expellet homo abominationes suas argenteas & aureas, quas fecerunt adorare, vanas, & vacuas, & nocivas, ut intrent in cavernas solidæ*

Gen. 46.
v. 29.

Psal. 31.

1. Petr. 4
v. 8.Isai. 2.
v. 19.Vers. 20.
21.

Ibid.

petræ, & in scisuras petrarum. Expelluntur enim idola visibilia, & intratur in petram, id est, publice convertuntur, & veniunt ad Christum, ut illic idola invisibilia, quæ corde possederant, obruantur, abscondantur, & perdelegantur; id est, dum hominem veterem Christo configimus, ut in illo novi inveniri possimus. Qui verò secundum veterem hominem, id est, exteriorrem, carnalem terram Domini, id est, carnem Christi ingreditur, neque in eo idola spiritualia in abolitione sepelivit; ipse idolum est, & non est absconditus à facie timoris Domini. Hoc per Isaiam Dominus increpat, *Gen. 35. dicens: Ululate sculptilia in Jerusalem.* At verò Jacob abscondit & perdidit idola sub terebincto usque in hodiernum diem. Terebinctus enim corpus est Domini, *Eccli. 24. ipso dicente: Sicut terebinctus extendit ramos. Et filii v. 22. matris meæ pugnauerunt contra me, sicut terebinctus Isai. 2. quæ amisit folia.* Et iterum: *In illa, inquit, die expellet homo idola.* Diem totum tempus, ex quo Dominus passus est, dixit. Exinde homines absconduntur in terram novam, cum qua resurrexit confringere terram: id est, ab eo die, quo Dominus ad passionem venit, mortem gustavit, & resurrexit, in hac petra se Christo omnes Sancti abscondunt, cum eis exemplum relinquens, ut ejus vestigia sequantur, propterea dixit abscondi in terram, cum exurrexerit confringere terram.

Nota, quia in hoc sexto sigillo & recapitulavit ab origine de Christo ab eo loco ubi dicit, quod *Reges & potentes absconderunt se in speluncis.* *Psal. 26. Legimus & in David, ubi ait: Abscondit me in tabernaculo suo in die malorum, in petra exaltavit me.* Omnem autem dicit se abscondisse, sed non omnes absconduntur, sed sola pars, quæ Christum cognoscit, de qua loquitur, dicens: *Luna tota facta est sanguis,*
id

id est, in martyrio perseverat. *Et omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt. Et omnis servus & liber*, absconderunt se in montes. Si autem pro istis montibus visibilibus dicit de locis suis recessisse, quomodo se in illis absconderunt? Aut quomodo se omnis servus abscondet, cum constet etiam ex servis esse qui rapiuntur in nubibus? Unde manifestum est quos omnes dicat: in obtunsos (1) enim neque visibiliter convenit, sed spiritualiter factum esse credamus. Primum quia non omnis locus habet montes, ut possit se omnis homo abscondere. Deinde cum apparuerit Dominus ut coruscatio, non remorabitur in itineris longitudine, nec habebunt spatium petendi homines montes, etiam in ipsis montibus habitantes. Quid de campestribus dicam, quos ab hac stultitia pœnitentia non revocat, ut locorum situs eos possit in montibus abscondere? Non enim in novissimo tantum terræmotu, multis è cælo labentibus confugient alii ad montes, id est, ad Apostolorum doctrinam, Domini misericordiam implorantes. Hoc semper factum est à passione Domini usque nunc. Sed tunc magis fiet, cum ad diem judicii instare diem Domini signum ostenderit. Ceterum hoc semper promissum & factum est. Sic enim habet consuetudinem sancta prophetia: sic narrat futura quasi jam facta: sic præterita quasi adhuc facienda. Nam sic Deus futurum promiserat destructa altaria, quæ Jeroboam fecerat in Samaria, sicut per Oseam Prophetam dicit: *Auferentur autem peccata Israel: spinæ & tribuli ascendent super altaria eorum, & dicent montibus: Tegite nos; & collibus: Cadite super nos. Destructa sunt hæc altaria* per

Osee 8.
v. 5.

Osee 10.
v. 8.

(1) Forte, in absconsos.

per Josiam Regem Juda, sicut in libro Regum legimus. Non tamen aliquis dixit montibus: *Tegite nos*, nisi illi qui destructis idolis in terram se Domini recondebant. Sed hæc in figura facta sunt per Josiam. Verumtamen completa sunt, & complentur semper in Domino, qui omnem idololatriam depredatur: super verticem montium sua castra constituit, id est, in speculatione contemplationis: in corpore suo suam Ecclesiam construxit, ut & in ultimo tempore Judæi periculum in his montibus fugerent. Sic Dominus in speciali Jerusalem generalis illius inveteratæ describit excidium, dicens: *Filiæ Jerusalem, nolite me plorare, sed vos plorate, & filios vestros: quoniam venient dies in quibus dicetis: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non nutrierunt. Tunc incipient montibus dicere: Cadite super nos, & collibus: cooperite nos. Quoniam si in humido ligno hæc faciunt, id est, tempore immaturo ita persecuntur; novissimo & opportuno quomodo persequentur? Cum ergo intellexerint novissimum esse excidium Jerusalem, confugient ad montes, rogantes abscondi se ab eis, & beatos dicentes eos qui nullis conditionis humanæ vinculis peccati capti retentique sunt. Advertendum præterea est, & ante oculos cordis habendum, narrationis genus quod Spiritus Sanctus in isto libro in omni periocha servavit; usque ad sextum enim numerum, ordinem custodivit. Et prætermisso septimo, recapitulat, & duas narrationes quasi ordinem secutus in septimo concludit: sed ipsa recapitulatio pro locis intelligenda est: aliquando enim ab origine passionis, aliquando à medio tempore: aliquando de sola ipsa novissima pressura, aut non multo ante dicturus recapitulat. Tamen fixum servat ut à sexto recapitulet.*

Nunc

Nunc ergo descripto sexto, ad originem redit, & capitulat eadem, breviter atque aliter dicturus. *Explicit explanatio.*

INCIPIT HISTORIA DE QUATUOR ANGELIS Ventorum.

ET post hæc vidi quatuor Angelos stantes in quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent in terram, neque in mare, neque in ullam arborem. Et vidi alium Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viventis: & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus data est potestas lædere terram & mare, dicens: Ne læseritis terram, neque mare, neque arbores, donec signemus servos Dei nostri in frontibus eorum". *Explicit historia.* Cap.VII.

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ in libro quarto.

ET post hæc, inquit, vidi quatuor Angelos stantes in quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ. Quatuor Angeli, & quatuor venti, unum sunt, ac si aperte diceret: Vidi quatuor Angelos tenentes Angelos aut quatuor ventos. In initio diximus qua de causa unam rem dividat. Isti autem Angeli vel venti, & boni sunt, & mali. Quatuor enim sunt soli: sed bipartiti sunt, sicut in consequentibus melius explanabimus. Hi venti & partem bonam tenent, & partem suam malam. Nam secundum Ezechielem quatuor ventos terræ bonos invenimus, qui ad primam resurrectionem faciendam inspirant ossa arida,

Ezech.
37.v.9.

da, & carnes mortuas. Quatuor enim ventos homines dicit, id est, flatum & mentem, quos habet Ecclesia in quatuor angulos terræ; & eadem eisdem locis inspirat prophetando, & suscitando mortuos. Iste flatus, id est, quatuor venti, per Daniele Prophe-

Dan. 7. tam adversus, dicitur, irruisse in populos: *Ecce, inquit, quatuor venti cæli irruerunt in mare magnum.*

Vers. 17. Et de mare ascenderunt quatuor bestię, quas Angelus quatuor regna mundi esse dixit. Septem ergo Angeli, ut jam dictum est, Ecclesia est, quorum septem si unum nominat omnes sunt: prout enim causa exigit, & numerum dicit. Sicut nunc quatuor Angelos dixit, ut in quatuor angulos terræ ostenderet Ecclesiam tenere: & partem suam, ne decipiat, consignandos accepit. At ubi omnis Israel in fine mundi salvus factus fuerit; fiet de medio ejus quam detinet.

Et tunc pars quarta Angelorum, soluta in suo tempore aperitur, id est, prædicatur, sicut Apostolus dicit: *Et nunc quid detineat scitis, ut in suo tempore denudetur: mysterium enim facinoris jam operatur. Tantum qui detinens detineat modo, quoad usque de medio fiat. Et tunc revelabitur ille impius Antichristus.* Et quia diximus quatuor Angelos bipartitos esse, & invicem mixtos, id est, Ecclesiam & regna mundi, curabimus opportune commemorare mundi regna, vel maxime præsens regnum in medio esse Ecclesiæ per orbem in falsis fratribus, id est, hypocritas in mysterio facinoris. Non est enim regnum cui deputentur falsi fratres, quia sæculi omnes mali Reges dicuntur, qui à suis voluptatibus præcipientantur. De talibus Principibus Apostolus dixit: *Quem nemo ex Principibus hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

1. Cor. 2.
vi. 8.

sent. Qui autem Dominum crucifixerunt, Evangelii scriptura denuntiat. Pilatus enim unus Princeps Dominum non crucifixit, sed calumniantibus dimisit. Et Apostolus Petrus, eo quod Israel Christum crucifixisset, sic eos adloquitur, dicens: *Certum ergo scias domus Israel, quia & Dominum illum, & Christum Deus fecit hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Et Dominus sæculum esse in falsis fratribus dixit: *Vos de sæculo estis, & de hoc mundo: Ego autem non sum de hoc mundo.* Et iterum discipulis ait: *Si vos mundus odit, me primum odio habuit.*

Actor. 2.
v. 36.

Joann. 8.
v. 23.
15. v. 18.

Tenentes, inquit, quatuor ventos terræ, ne flarent in terram, neque in mare, neque in ullam arborem. Terram & mare & arbores homines dicit, ne flarent, id est, ne spiritum suum tradant, & sui similes efficiantur. Et vidi alium Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viventis. Alium Angelum eandem Ecclesiam dicit: ab ortu solis quod dicit, id est, à passione Domini clamantem in quatuor angulis terræ. Sol Christus est. Non enim sic ordo revelationis est, post quatuor Angelos ut vidisset alium Angelum: Non: sed utrumque ab initio libri unum Dei Angelum vidit: unus est enim atque idem. Ecclesia prædicat Ecclesiæ. Et clamavit voce magna quatuor Angelis quibus data est potestas lædere terram & mare. Primum dixit ventos teneri ab Angelis, ne flarent in terram & mare: nunc Angelis dicit, ne læseritis terram & mare. Ostendit unum esse. Nam & in alia recapitulatione, novissimo certamine Angelos dixit solvi quatuor trans flumen Euphratrem. Isti & illi unum sunt, quos hic ventos dixit tenere. Ex quo autem passus est Dominus, ligatus est diabolus, sicut Dominus dicit: *Quomodo potest quis*

Matth.
12. v. 29.

in-

intrare in domum fortis, nisi prius alliget fortem?
manifestum est, diabolus esse alligatus, & pedibus

Ps. 109. Ecclesiæ subjectum, sicut scriptum est: *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis.* Ligatus est diabolus in corpore suo, id est, in homines malos, ne seducat nationes credentes in quatuor angulis terræ, id est, Ecclesiam, quæ corpus est Christi, de quo corpore dicit: *Ne læseritis terram, neque mare, neque arbores, donec signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Imperium Domini est, quod Angelus, id est, corpus ejus, quod est Ecclesia, adnuntiat, & dicit sinistris lædentibus; id est, hypocritæ dicit, *ne læseris*, quia spiritualiter Ecclesiam lædit. Hæc est vox quæ in medio quatuor animalium dicit lædenti: *Vinum & oleum ne læseritis.* Præcepit Dominus terram suam, id est, Ecclesiam suam, spiritualiter non lædi, quoadusque omnis servus Dei signetur. *Explicit explanatio quatuor Angelorum ventorum.*

INCIPIT HISTORIA CENTUM QUADRAGINTA
quatuor millia in libro IV.

Cap. VII.
v. 4.

ET audiui numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Juda duodecim millia signati. Ex tribu Ruben, duodecim millia signati. Ex tribu Gad duodecim millia signati. Ex tribu Aser duodecim millia signati. Ex tribu Neptali duodecim millia signati. Ex tribu Manasse duodecim millia signati. Ex tribu Simeon duodecim millia signati. Ex tribu Levi duodecim millia signati. Ex tribu Isacar duodecim millia signati. Ex tribu Zabulon duodecim
» mil-

»millia signati. Ex tribu Joseph duodecim millia signa-
 »ti. Ex tribu Benjamin duodecim millia signati. Post
 »hæc vidi & ecce turba multa, quam dinumerare nullus
 »poterat, ex omni gente, & tribu, & populis, & lin-
 »guis, stantes in conspectu sedis & Agni, amicti stolis
 »albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant vo-
 »ce magna, dicentes: Salus Deo nostro sedenti supra
 »sedem, & Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu
 »sedis, & seniorum, & quatuor animalium, & proci-
 »derunt in conspectu sedis super facies suas, & adora-
 »verunt Dominum, dicentes Amen. Benedictio, & glo-
 »ria, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & po-
 »testas, & virtus Deo nostro in sæcula sæculorum
 »Amen." *Explicit historia.*

I N C I P I T E X P L A N A T I O

suprascriptæ historiæ in libro IV.

ET audiui numerum signatorum, centum quadragin-
 »ta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum
 Israel. Centum quadraginta quatuor millia, omnis om-
 nino Ecclesia est, quod exemplis facile est probare,
 qualiter sit pro ratione, ut si per partes quæratür duo-
 denarius numerus, simul ductus plenitudinem suam ex-
 cedit, utputa habet enim partes quinque: duodecima,
 quod est unum: sexta, quod duo: quarta, quod tria:
 tertia, quod quatuor: dimidia, quod sex: unum enim,
 & duo, & tria, & quatuor, & sex simul ducta, sedecim
 faciunt, & longe à duodenario numero excedunt. Sed
 tamen mysterium faciunt. Unus in numeris dividi non
 potest: ab ipso enim surgit omnis numerus: qui Deum
 significat, à quo surgit omnis origo, qui dividi &
 scindi non potest. Duo, duo Testamenta intelliguntur.
 Tria,

Tria, Trinitatem, quæ est Deus, denotant, quæ quamvis tres sint personæ, in una creduntur unitate naturæ. Quatuor, quid aliud nisi quatuor Evangelistas significant? Senarius igitur numerus perfectus est, quia partibus suis completur: habet enim tres partes, sextam, tertiam, & dimidiam. Sexta ejus unum est: tertia, duo: dimidia, tres. Hæ partes in summam ductæ, id est, unum & duo & tria simul, eundem numerum consummant, perficiuntque senarium: ideoque per hujus numeri perfectionem, sex diebus operatus est Deus omnem creaturam. Tres hæ partes senarii numeri, demonstrant nobis Trinitatem Deum, in trinitate numeri, mensuræ & ponderis, fecisse omnem creaturam. Cognosce ergo, plurimum valere senarii numeri perfectionem, quem in Scripturis Sanctis frequenter invenimus. Præsertim in mortem Domini simplam, & in resurrectionem Domini simplam. Mors itaque Domini nostri Jesu Christi non fuit in anima, sed in carne sola. Mors verò nostra, non solum in carne, sed etiam in anima propter peccatum; in carne verò propter pœnam peccati. Ille verò, quia peccatum non habuit, in anima non est mortuus, nisi tantum in carne: & hoc propter similitudinem carnis peccati, quam de Adam traxit. Igitur simpla ejus mors profuit duplæ nostræ: & simpla ejus resurrectio profuit duplæ nostræ. Mors carnis Christi, & resurrectio ejus, duo sunt. Mors animæ nostræ, & resurrectio animæ nostræ duo sunt. Duas mortes nostras, & duas resurrectiones nostras. Duo & duo quatuor sunt. Unam mortem Domini, & unam resurrectionem ejus, adde quatuor nostris, sex faciunt. Igitur simplum Domini & duplum nostrum, tres sunt: & quia senarius numerus tres partes habet, secundum quod suprâ diximus, unum, & duo, & tres, sex faciunt. Nam & XXXVI. horæ quibus fuit

Rom. 8.
v. 3.

fuit Dominus in inferno, simplam Domini, & duplam nostram complevit. Duodecim igitur horæ fuerunt diurnæ, & XXIV. nocturnæ. Istæ XXIV. ad duplam nostram mortem congruunt, & illæ XII. horæ diei ad mortem Domini simplam: reductæ in unum, senarium numerum faciunt. Revera enim & Nativitas Domini senarium numerum habet. *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc* dicebant Judæi in Evangelio, quod intelligitur de corpore Domini. Quadraginta sex anni positi sunt pro diebus XL sex, & quia XL sex diebus dicunt infantem formari in utero, & subinde usque ad diem parturitionis crescere. Computa ergo ad sex vices XL sex, & invenies dies CCLXXVI. qui faciunt menses novem, & dies sex. Computa ergo ab VIII. Kalendas Aprilis, quando passus est Dominus (tunc etiam creditur fuisse conceptus), & usque in diem octavo Kalendas Januarias, & invenies dies CCLXX. sex, qui constant per senarium numerum. Quid de illa muliere in Evangelio, quam decem & octo annos curvaverat Satanas, quam sanavit Dominus, quæ tot annis curva jacebat? Quia & ipsi senarium numerum habent. Ter igitur seni, decem & octo faciunt. Illa itaque mulier intelligitur genus humanum, quod sexta ætate sæculi à captivitate diaboli Dominus liberavit. Quia sex dies, in quibus operatus est Dominus, hebdomada est, & sex millium annorum figuram ostendunt, quæ in una hebdomada nuncupantur. Prima ætas ab Adam usque ad Noe, & fiunt anni II.CCXLII. Secunda, à Noe usque ad Abraham, & fiunt anni DCCCCXLII. Tertia ab Abraham usque ad Moysen, fiunt anni DV. Quarta ab exitu filiorum Israel ex Ægypto usque ad introitum eorum in terram repromissionis, per annos XL. Et ab introitu terræ repromissionis usque ad Saul primum

Joan. 2.
v. 20.

Regem Israelis, fuere Judices per annos CCC.L.V. Saul regnavit annos XL. A David usque ad initium ædificationis Templi anni XLIII. Quinta ætas à prima ædificatione Templi usque ad transmigrationem in Babilonem, fuere Reges per annos CCCCXLVI. Fuit autem captivitas populi à desolatione Templi annis LXX. Et restauratur à Zorobabel annis IIII. Post restorationem verò templi usque ad Incarnationem Christi anni DXL. Colligitur omne tempus ab Adam usque ad Christum anni V.CCXXVII.(1) Et ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque in præsentem Eram, id est, DCCCXXII. sunt anni DCCLXXXIV. Computa ergo à primo homine Adam usque in præsentem Eram DCCCXXII. & invenies annos sub uno V.DCCCCLXXXVII. Supersunt ergo anni de sexto millenario XIV. Finiet quoque sexta ætas in Era DCCCXXXVIII. Residuum sæculi tempus humanæ investigationis incertum est. Omnem enim de hac re quæstionem Dominus noster Jesus Christus abstulit, dicens: *Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Et alibi: *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi Pater solus.* Et quia diem dixit, & horam; aliquando pro tempore dicuntur, aliquando verò simpliciter intelliguntur. Ut sciatis, in veritate sexto millesimo anno finiendus erit mundus. Utrum impleantur, an minuantur, soli Deo cognitum est. Ceterum utut suspicemur, de septimo non possumus; quia nec scriptum invenimus. Sex diebus operatus est Deus, quos invenimus à mane usque ad vesperam esse finitos: de septimo non legimus, nisi requievisse; & ut per sex dies sex mil-

Act. 1.
v. 7.

Matth.
24.v.36.

(1) De hac, & subsequentibus, annorum supputatione vide quæ in Prologo prænotavimus num. 66.

millium annorum figuram ostenderet, quibus sæculi istius ætas deducitur, indicaret in septimo resurrectionem omnium Sanctorum. Et quia sexto die hominem fecit, & de costa ejus, quod est latus, facta est femina, & ex his duobus crevit & repleta est terra; ita intelligas sexta ætate sæculi, quasi sexta die primum hominem Adam de nova terra, sic secundum Adam de nova Virgine Christum nasci. Et quare diximus *Virginem novam*? quod talis non fuit inventa de semine Adam, neque alter talis filius de semine ejus qualis Christus. Et sicut Adam dormienti de latere facta est femina, & repleta est terra; ita & secundo Adam Christo, somno passionis dormienti, de latere ejus facta est Ecclesia, ut repleretur cælestis paradisi terra, de qua David orabat: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Et sicut sexto die finito, nihil legimus Dominum operatum, nisi cessare ab operibus, & requiescere; ita credimus sexto milliario (utrum finito, an non?) diem resurrectionis esse. Qua die, aut hora, ut ait ipse Dominus, *nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi Pater solus.* Et in alio Evangelista addidit, quod *neque Filius* scierit. Nos verò hæc, non secundum litteram, sed secundum sensum intelligere debemus. Ne forte sicut sonant hæretici quo signo Itas, & Triton itas, (1) qui à Teudosianis exorti dicuntur, (quod absit) cum ipsis sentiamus. Hi asserunt, quod Christi divinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die & hora novissima: non recordantes Christi personam in Isaia loquentis: *Dies judicii ex corde meo*: unde manifestum est quod filius

*Psal. 26.
v. 13.*

*Marc. 13
v. 32.*

*Isai. 63.
v. 4.*

X 2

sci-

(1) *Corrupti Codices ita ad perfectum sensum revocandi*: Ne forte sicut sonant intelligentes, ut hæretici quos Agnoitas, & Tritheitas dicunt, qui à &c. De his Consule Leontium de sectis, *Act. 5.* & Photium Codice 24. & 230. circa finem. Et *Epist. 228.*

scivit, sed discipulis indicare noluit, ut semper de morte suspecti & incerti spem in sæculo non haberent. Nam de die legimus; quia, sicut Dominus noster Jesus Christus die Dominico resurrexit à mortuis, ita & nos resurrecturos in novissimo sæculo die Dominico speramus. Sed quia revolvente hoc die in calculo, multi Domini dies efficiuntur; quo tempore, quo anno, qua hora, qua die, qua Era resurrectio sit? nescimus, utrum minuet de istis *XIII. annis*, sed solus Deus scit. Sed tamen etiam de repromissione dominica legimus mutasse sententiam. Denique & in Genesi legimus centum *XX. annos* pœnitentiæ constitutos ante diluvium. Quicumque tanto tempore, id est, centum annos, noluerunt agere pœnitentiam, nequaquam expectat Dominus, ut & *XX. alii* compleantur, sed inferet ante quod postea fuerat comminatus. Sic & cum per Isaiam Ezechiam Regem dixerat moriturum; quindecim anni leguntur addidisse. Et in Ninivitarum [comminatione] *Adhuc XL dies, & Ninive subvertetur*. Et tamen ad preces Ezechiae, & Ninive, Dei sententia commutata est: non novitate judicii, ut Deus nova consilia habeat, qui numquam per varietatem temporum mutatur, & scriptum est: *Semel locutus est Deus duo*, quia semel decrevit ante sæcula qualiter per sæcula disponantur; sed eorum conversione mutat sententiam, qui meruerunt indulgentiam. Neque enim Deus hominibus, sed vitiis, irascitur: quæ cum in homine non fuerint, nequaquam punit. Alioquin & Jeremiæ loquitur Deus se mala minari super gentem: &, si bonum fecerit, minas clementia commutare. Rursum bonum genti se asserit promitti: &, si mala fecerit, dicit se mutare sententiam. Unde eidem Jeremiæ dicitur, cum orasset pro populo, ob duritiam cordis populi Judæorum: *Ne ores pro populo hoc,*

Isai. 38.

v. 5.

Jonæ 3.

v. 4.

Psal. 61.

v. 12.

Jerem. 7.

v. 16.

boc, quia non exaudiam te. Et ad Samuel: *Usque quo* 1. Reg. 16
luges super Saul, & ego abjeci eum? In cinere igitur v. 1.
 & sacco postulat impleri quod promiserat Deus. Non
 quod esset incredulus futurorum, sed ne securitas ne-
 gligentiam, & negligentia pareret offensam. Ita, ut su-
 prà dictum est, intelligere debet, & expectare, & time-
 re omnis Catholicus, & hos XIII. annos tamquam unam
 horam putare: & die noctuque in cinere & cilicio, tam
 se quam mundi ruinam plangere, & de supputatione
 annorum suprà non quærere: & diem extremi sæculi,
 vel tempus, suprà non quærat investigare quem nemo
 scit nisi Deus solus. Unusquisque ergo de suo cogitet
 transitu, sicut Sacra Scriptura ait: *In omnibus ope-* Eccli. 7.
ribus tuis memorare novissima tua, & in æternum non v. 40.
peccabis. Quando enim quisque de sæculo migrat, tunc
 illi consummatio sæculi est.

Sed quia de senario numero usque ad finem mun-
 di excessimus, dignum est ut ad senarium numerum
 recurramus. Qualiter non solum mundum, sed etiam
 totam Ecclesiam per eum numerum Deo persolvente
 disputemus. Unde & à sapientibus & viris catholicis
 vel religiosis ratio numerorum contemnenda non est:
 in multis enim Sanctarum Scripturarum locis quantum
 mysterium habent elucet. Non enim sine causa in lau-
 dibus Dei dictum est: *Omnia in mensura, & nume-*
ro, & pondere fecisti. Senarius namque, qui parti- Sap. 11.
 bus suis perfectus est, perfectionem istius mundi qua- v. 21.
 dam numeri sui significatione declarat. Similiter & XL.
 dies quibus Moyses, & Elias, & ipse Dominus je-
 junaverunt, sine numerorum cognitione non intelli-
 guntur. Sic & alii in Scripturis Sacris numeri exis-
 tunt, quorum figuras non nisi noti hujus artis scien-
 tiæ solvere possunt. Datum etiam nobis ex magna par-

te sub numerorum consistere disciplina, quando horas per eam discimus: Quando mensium curricula supputamus: Quando spatium anni redeuntis agnoscimus: Quando millia annorum ab exordio mundi usque in finem invenimus. Siquidem Dominus in quarto dei opere ait: *Fiant luminaria in firmamento cæli, ut luceant super terram ad inchoationem diei & noctis, & ut dividant inter diem & noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, & sint in splendore in firmamento cæli, & luceant super terram.* Quibus ita perfectis, manifestum est luminibus ipsis antecedere lucem tribus diebus. Unde mihi videntur Egyptii, ceteræque gentes hoc sequentes decretum, III. annis imperfectis diem integrum superfluum adjicere, quem etiam bisextum solent nominare. Nam cum tres dies istos computare qui sint, atque recogitare voluerimus, unius anni centesimam vicesimam partem esse cognoscimus. Centesima autem & XX. dies invicem computata, ista tertia pars esse dignoscitur. Tertia igitur addita parte annuali quadriennio, dies integer completur. Atque ad partium partes menses atque anni superflui computantur. Quos Hebræi quidem embolismos vocare solent, id est, superadjectiones, qui de Pascha usque in aliam ad Pascham dies CCCLX. & V. faciunt: unde & Paschas errare solent, qui calculi nesciunt rationem. Egyptii verò hoc exaltationes syderum dicunt, atque stabilitates, immò bisextum appellant propter remotionem lucis atque dierum & noctium quæ luminibus antecesserunt, celebratur, ideo quod tres dies sine auctore Sole præcesserunt. Certum est enim, per Sanctarum Scripturarum traditionem, per numerum deducere omnem Ecclesiæ ordinem. Per numerum siquidem,

dem, ne confundamur, instruimur. Tolle sæculo computum, & cuncta ignorantia cæca complectitur. Nec differre potest à ceteris animalibus, qui numeri nescit rationem.

Et quia suprà jam per senarium numerum diximus de muliere curva, quæ omne omnino genus præfiguravit humanum; nunc restat, ut hebdomadam istius sæculi per distinctiones dierum & noctium disserendo deducamus usque ad Christum. Et quia ut diximus, sex diebus consummavit Deus opera sua, & in septimo requievit; ita hic mundus in sex ætates constare dicitur, & in septima erit requies Sanctorum cum Domino: quarum *prima* ætas est ab Adam usque ad Noe: qui habuit mane ipsam conditionem hominis in paradiso: habuit vesperam diluvium: hinc quasi primus dies in creatione rationalis creaturæ, Angeli, & hominis, quod est lux, qui dicuntur filii Dei. Post expulsionem à paradiso homo duos habuit filios, simplicem, & impium: impius occidit pium, & pro eo natus est Seth, qui dictus est filius Dei, & facti sunt duo populi, id est, Agnus, & bestia. Et quia contra voluntatem conditoris de duobus populis agno & bestia communes & liberos & conjuges miscuerunt; factum est diluvium. *Secunda ætas* est à Noe usque ad Abraham. Habuit mane arcam, quæ prima vocatur spiritualis Ecclesia: quæ tricamerata tres partes salvavit, id est, homines, bestias, & aves; quæ secunda dies firmamentum nuncupata est; & tres filii Noe quasi tria animalia, id est, aries, vitulus, & capra. Ab his tribus omnis terra est divisa. Habuit vesperam, confusionem linguarum, & ruinam turris Nembroth gigantis. *Tertia ætas* est ab Abraham usque ad David, habuit mane separationem

Abrahæ, quasi tertia dies separatas aquas ab aquis, id est, Patriarchas à gentibus, ubi Moyses & lex est data. *Gen. 15.* Dixit autem Deus ad Abraham: *Gen. 15.* *Ego sum Deus qui eduxi te de terra Chaldæorum, ut darem tibi terram istam hereditare.* Et dixit Abraham: *Quomodo sciam quia hereditabo eam?* Et dixit illi Deus: *Accipe tibi vaccam triennem, & capram triennem, arietem triennem, turturem, & columbam.* Hæc tria animalia filii sunt Noe. Aries Sem, de quo natus est agnus. Vacca, Cham, de qua natus est vitulus. Capra, Jafeth, de qua natus est hyrcus. Hæc tria animalia divisit Abraham per medium: fecit sex partes de toto mundo per senarium numerum. Tres partes dextras, & tres sinistras, id est, Ecclesiam, & Synagogam. Aves verò non divisit, id est, omnis caro sanctitatis cum Spiritu Dei conjuncta, jam non divisi, sed uniti ad cælos volantes ascendunt. Nam illa divisa animalia gentilem populum significarunt, credentium Christo, & incredulorum. Hic dies habuit vesperam, impiissimum Regem Saul.

Quarta ætas est à David usque ad transmigrationem populi Judæorum in Babiloniam. Habuit mane ipsum David, à quo cœpit splendor regni, & prophetia, quasi quarto die luminaria. Habuit vesperam peccatum Regum, & Sacerdotum, pro quibus gens illa meruit captivari in Babilonia. Et quia quatuor peccata commiserat homo Juda, id est, furtum, adulteria, homicidia, & idololatriam, pro qua Jeremias quadruplici planxit alphabeto; erravit de semita prophetiæ, per quam veniebat ad viam quæ dicitur Christus: *factatus est in desertum: incidit in leenam, quæ & rapuit eum.* Surrexit ursus; tulit leænæ prædam. Surrexit pardus; tulit urso prædam. Surrexit bestia

terribilis dentes ferreos habens , capita septem , & cornua decem : tulit Pardo prædam , & possidebat eam. *Quinta ætas est à transmigratione Babiloniæ usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi.* Habuit mane Jeremiam , vel Danielem , quasi quinto die primam benedictionem piscis in aqua , & avis in passione. Habuit vesperam peccatum populi Judæorum , quando excæcati sunt , ut etiam Dominum nostrum Jesum Christum non possent agnoscere. Venit Agnus immaculatus , tulit bestiam terribilem , quæ septem capita habebat , & decem cornua : superavit eam , & excussit ejus prædam , id est , quem suprâ diximus , hominem Juda. Homo cum se cognosceret à tantis periculis ab Agno liberatum , invidia ductus occidit Agnum. Hæc nimirum bestia partivit hominem , quia & multa electorum corda tenuit. Sed hanc prædam à Juda moriens Agnus excussit. Hic est Agnus quem ad vesperam Judæi succincti per lumbos vestimenta , baculo in manu , commessare se credunt ; & David ait: *Ad vesperam demorabitur fletus , & ad matutinum lætitia.* Nam cum istis baculis , cum quibus immaculati Agni carnes adpetunt , Judas Scarioth vexillarius suppositionis ultimum tempus ad occupandum Salvatorem nocte cum tumultuosa plebe jam convenit. Quibus ita Agni acerba vox intonuit : *Quasi ad latro-* *Psal. 29.
v. 6.*
nem cum gladiis & fustibus advenistis : gladiis , scilicet , Principes Sacerdotum , & seniores populi à quibus Agnus occiditur : Fustibus , plebs munita , quibus blasphemantium popularitas perarmatur. Nam quod sub vesperam imago Dei Agnus iste decipitur , noctem Judæis lenocinio adulteratæ legis populum Israel admissum peccatum per importunitatem cæce blasphemantes , fovendo quod fixerat separatus à luce tenebra-
rum

*Matth.
26. v. 55.*

rum includebatur, ut noxam criminis cæcus tenebrarum sequeretur adsensus. Passio Christi inter lucem & tenebras magno sacrificio litabatur, lucis cujus Christus nomen adsumpserat temporalis lapsus videbatur occasu. Ut post tenebras cruentæ cœnæ, qua Agnus fuerat immolatus, Christus iterum in alia die vivus ex inferis, damnato trinæ mortis terrore, cum sua luce fulgeret. Merito sub hac Domini passione ipsius etiam Agni immaculati atque perfecti vellera omnes Christiani intra Ecclesiam nent & texunt. Et quasi sub trinitatis nomine, id est, staminis, licii, & tramæ unius substantiæ lanæ, unum Deum in trinitate esse asserunt. Sed tamen hæc lana quid cui melius esse videtur, diversis coloribus hæresum diversæ tincturæ colore fuscantur. Alii vermiculo, alii viridi, alii croceo, alii coccino, alii alio, vario, rubeo, nigro colore subrideant. Perfecti tamen castalis imbuantur Agni vellera candidata texere conantur. Nam quod ex Agni vellere candidato diversi coloris tinctura fuscatur, istæ sunt hæreses, quæ ex nivali lana veste plus quam innocua mutando per colores, & variando, se amaritudine tincturæ semper inficiunt. Sed ex una Christi lana, cui splendescere profecto debuerant, insipientiæ sectam mutantur, ut ex uno Agni vellere agnificuli profecto candore translatis vestibis, sectæ multæ & hæreses oriantur, quibus sint damnabiles officinæ. Et quanto se obumbrandam per floreatos colores hæresis profanata confecerit, medicaminibus herbis pictura levaverit matricem lanæ post illud velleris fronde, vestis in ipso discordiæ suæ curriculo Christum Dominum, quem figmentis simulationibus fallit, confiteri penitus non audebit. De talibus in Evangelio ait: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, in tuo*

*Matth. 7.
v. 22.*

nomine manducabimus, & bibimus, & in tuo nomine dæmonia ejicimus, magnalia fecimus. Tunc respondens dicit eis: *Discedite à me operarii iniquitatis: non novi vos in domo patris mei*, id est, in Ecclesia. Neque enim proderit cuiquam dicere, sed facere. Hic est Agnus, qui natus est de illo ariete, Sem, filio Noe. Cum hoc Agno, leo, & ursus, & pardus, vitulus, ovis, & capra morantur simul. Solum bestia terribilis cum decem cornibus & septem capitibus cum eo est in conflictu. Iste Agnus est qui in monte Sion, id est, in speculatione Ecclesiæ virtutum herbas decerpit. A quo bestia quotidie superatur, & capta tenetur.

Jam sextum sæculum fit, quod nunc ab adventu Domini agitur usque quo mundus finiatur, & veniat ad judicium. Habet mane lumen verum Christum, qui semper oritur in corda credentium, qui dies perpetuus nuncupatur. Habet & vesperam, Synagogam, vel ignorantiam stultorum, schismatum, hypocritarum, & hæresum, sive in fine perpetuam nocem ipsum Antichristum. Hic est dies primus, Christus in operatione, & novissimus in perfectione. In hac ætate facit finem, & recapitulat à principio. Sic enim dictum est: *In principio fecit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis & vacua.* Iste est principium, in quo fecit Deus cælum & terram. In cælo intelligimus Christum [*Spiritum*]: in terra intelligimus carnem. Non aliud primum fecit in principio, nisi hunc hominem Christum, Salomone adtestante: *Dominus creavit me in principio viarum suarum.* In principio creatum dicit, id est, prædestinatum. Ab hujus similitudine dictum est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, ad cujus imaginem fac-

Prov. 8.
v. 22.

tus est Adam. Similitudo tamen in isto reservabatur. Sed quia terra erat inanis & vacua, id est invisibilis & incomposita, quod nec videri, nec palpari potest; ecce jam visibilis est, ecce jam palpari potest. Sicut ipse dicit:

Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere: & nolite esse increduli, sed fideles. Ecce jam audis terram compositam esse, in quo principio creavit Deus cælum & terram, id est, spiritum & carnem: & in hoc cælo & terra continentur omnia, id est, visibilia & invisibilia. Omnis namque creatura antequam tempore suo fieret, in ipso verbo Dei, id est, in filio, quod est principium, prius erat ab Angelis cognoscenda, & sic suo tempore facienda. Quapropter ipsa creaturæ cognitio in semetipsis vespere erat, in Deo autem mane. Quia plus videtur ipsa creatura in Deo, quam in semetipsa videtur à creatura. Plus scilicet videtur in arte qua facta est, quam ipsa in se ipsa quæ facta est: propterea enim ait Evangelista Joannes: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Omnia igitur quæ facta sunt, & vitam non habent, in ipso verbo Dei vita sunt. In se ipsa non sunt vita. Cælum, terra, lapis, vitam non habent; & tamen in Deo vita sunt. Vivit igitur in Deo sine initio, atque immutabiliter omnis creatura, ac per hoc plus videtur ab Angelis sanctis in verbo Dei, ubi sunt vita, quam in se ipsa. Et ne forte aliquem moveat, aut dicat aliquis: Omnia Filius fecit, & Pater, & Spiritus Sanctus non fecit? Absit hoc à Catholica fide: omnia quæ facta sunt, sive in cælo, sive in terra Sancta Trinitas fecit, id est, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, in personis trinus, sed in natura unus Deus. Communis operatio Trinitatis; una potestas, & una majestas. Intellige quæ dicit: *In principio creavit Deus cælum & terram.*

Terra autem erat inanis & vacua: & Spiritus Dei ferebatur super aquas, id est, super omnem creaturam. In Deo, Patrem dicit; in principio Filium; in Spiritu Dei Sancto, Spiritum Sanctum. Ecce communem operam Trinitatis. Nam cum dixit Deus *Fiat lux*, Angelos dixit. Quia non in tenebris erat Deus; sed quia se primus ab Angelica creatura cognosci voluit, quod præscitus in carne esset, ideo dixit: *Fiat lux*. Iste est dies inchoatione creaturæ, qui non primus, sed unus est nominatus, quia primus dierum omnium Christus est. Primus ergo dicitur dies Angelorum, sed in creatione mundi, quia de omni creatura ipse primus cognovit factorem suum. Ergo in cognitione sui primus dies. In cognitione firmamenti secundus. In cognitione divisionis aquarum tertius. In cognitione Solis ac Lunæ & stellarum quartus. In cognitione volatiliū & reptiliū quintus. In cognitione jumentorum & ferarum, vel ipsius hominis, sextus. Vides hominem sexto die factum. Jam in anima & carne præscitus erat Christus, & prædestinatus, & ab Angelica creatura cognitus, quando iste Adam factus est primus. Cum Pater ad Filium personaliter diceret: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, unitatem substantiæ demonstravit. *Nostram* verò personaliter dixit, & *fecit Deus* substantialiter dixit. Voluit se videri Deus qualis esset in forma, cum hominem suum sacra digessit in linea. Vultus Domini præfertur in homine, ut bestiis, avibus, pecoribus, non homo, sed imago potius imperaret. Cognosce quantum distat inter hominem & pecus, cui homo præponitur, & imperare mandatur! Ita crede secundum Adam Christum, qui homo perfectus est dictus: & alter homo apud ipsum pecus est dictus. Sed quia Angeli, & homines filii Dei dicti sunt; & sicut

Angeli eum primitus inter omnem creaturam cognoverunt in divinitate, ita & homines Angeli dicti sunt, qui eum plene cognoverunt, & cognoscunt in humanitate: Ergo ille qui est primus dies, ipse est & novissimus. Primum cognitus à spiritali creatura in divinitate: & nunc, non à carnali, sed à spiritali creatura, id est, ab interiore homine cognoscitur in humanitate. Illuc dictum est *fiat lux*, ut cognoscant Angeli Christum:

Joann. 8.
v. 12.

hìc dictum est: *Ego sum lux mundi*, ut cognoscant Angeli homines Christum. Illuc secunda die dictum est: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas*

Matth.
16.v. 18.

ab aquis; hìc dictum est: *Super hanc petram, quam cognovisti Petre, firmabo Ecclesiam meam, & dividam*

Synagogam ab ea. Illuc tertia die dictum est: *Congregentur aquæ in congregationem unam, & appareat arida*; hìc dictum est, cum ad lavacrum venisset: *Ecce*

Joann. 1.
v. 29.

Agneus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Congregatæ sunt aquæ aliæ super cælos, aliæ in abyssonibus, aliæ in maria: tres partes factæ sunt, una cælestis, & duæ terrestres, id est, justi, & peccatores. Apparuit terra,

Psal. 84.
v. 13.

de qua terra dictum est: *Terra nostra dabit fructum suum*. Hìc terra quotidie nobis uberes germinat fructus. Illuc dictum est in quarta die: *Fiant luminaria*; hìc

Joann. 8.
v. 12. &

11.v. 9.

dictum est: *Ego sum lux mundi: & qui ambulat in die non offendet, quia me hujus mundi lucem videt*. Illuc dictum est in quinto die: *Producant aquæ pisces,*

Cap. 3.
v. 5.

& volatilia; hìc dictum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest videre regnum Dei*. Et sicut me Pater misit ad passionem, & ego mitto

Matth.
24.v. 19.

Luc. 23.

v. 29.

vos. Illuc dictum est: *Crescite & multiplicamini, & replete terram*; hìc dictum est: *Væ prægnantibus, & nutrientibus: & beatæ steriles, quæ non genuerunt*.

In illa crescere & generare mandavit: in ista continentiam

tiam suasit. Illuc circumcisio carnis : hinc lavacrum in ablutione cordis & corporis. Illuc in filiorum prole benedictio credebatur : hinc in virginitate benedictio & gratia dupliciter datur. Nos tamen sicut conjugia non vetamus, ita nec prædicamus. Scriptum est : *Qui habent uxores, tamquam non habentes sint.* Nuptiæ quantum per se bonæ sunt, tantum curæ rerum quæ circa illas sunt, malæ sunt. *Qui non habet uxorem, sollicitus est, quomodo placeat Deo.* Et qui habet uxorem, *sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Sed tamen Apostolus ait : *Qui se non potest continere, nubat.* Melius est bis & ter [nubere] cum benedictione, quàm [uri] cum una [quæ] corpus suum maculet in fornicatione. Sed hoc de illo dicimus qui se non promisit in religionis habitu Deo servire. Nam si vel leviter promisit, & aliter fecerit, habet damnationem, secundum Apostolum, quia *primam fidem irritam fecit.* Nam quantum distat inter virginitatem & conjugium, tantum distat inter primas nuptias, & secundas. Scriptum est enim : *Boves prata depaverunt ; porci etiam nonnulla suffoderunt, pars cetera quoque manebat illæsa.* In prato depasto à bovis conjugia intellexerunt esse majores ; & si nullam florum retinet dignitatem, tamen non amittit viriditatem. In porcos qui suffoderant campum, hi sunt fornicatores, qui terrâ corporis sui in luto crudelitatis, vitiisque versantur. Pars tertia campi, quæ illæsa dicitur, virginitas est ; quæ floribus lilii comparatur. Et quantum distat inter præfectum, & *mulionem*, vile mancipium ; tantum distat inter virginitatem & conjugium : quæ virginitas in prædicatione non imperatur, sed suadetur, & laus ejus & gloria prædicatur. In una tamen quasi in uno palatio ista duorum officia militant. Sed virgines ani-

1. Cor. 7.
v. 29.

Vers. 32.

Vers. 9.

1. Tim. 5.
v. 12.

mo & corpore habent dignitatem similem præfectorum: virgines verò tantum animo habent dignitatem similem mulionum. Imperatoris ordinatione subsistentes duæ dignitates, id est, præfectorum, & mulionum, uno Regi militant, uno simul utuntur carrucæ vehiculo, mularumque uno trahuntur jugo. Uno simul præcedentium utuntur officio. Sed alia est pretiositas præfecti, & alia vilitas mulionis. Perseverate Sanctæ Virgines, quia talem gloriam habebitis apud æternum Regem in cælis, qualem habent præfecti apud Imperatorem in terris. Cum de virginitate itum fuerit ad conjugium, sic itur quomodo à præfecturæ pretiositate ad vilissimam militiam mulionis. Et licet eos unum contineat palatium, uniusque reficiat Imperatoris annona, etiam unâ sedeat uterque carrucâ; tamen tanta nota, tanta confusionis abjectatio opprimet eum, qui ex præfecto fit mulio, ut ne sit ultra mulio, sese optet occidi. Huic talem consolationem dabunt deceptores ejus, qualem solent dare virginum deceptores. Dicunt namque deceptis virginibus, quid tristamini quia uxores esse cœpistis? alterum Deum habuistis dum virgines essetis, & modo mulieres alterum? Ipsius fuisti ancilla virgo, cujus es & mulier. Ipsius Ecclesiam ingrederis: ipsius consecraris mysteriis. Ipsius signo censeris. Depone tristitiam animi, quia non gehennæ manciparis incendio inter adulterantes fornicantes personas; sed inter conjugii dignitates militiæ tuæ gloriam non amittis, si hoc ipsum quod conjux esse ex virgine voluisti, inculpabiliter conservaveris. Sicut utique ex præfecto mulionem factum sui consolabuntur: quid tristis efficeris? Ipsi militas mulio, cui militasti præfectus. Age gratias, quia non plumbo tunderis, non truncaris gladio, non carcere manciparis; si tamen hoc ipsum quod effectus es

mulio inculpabiliter ministraberis. Ecce quantum distat inter virginitatem & primas nuptias. Quia Christus in hoc mundo veniens salvare quod perierat, semel fuit ad nuptias, semel præcepit esse nubendum. Quia etsi non peccasset Adam, ad hoc facta est ei femina, ut filios haberet: & nuptiæ essent in paradiso. Sed nunc quales nuptiæ essent, explicare non possumus, quia comparationem in terra unde demus, non habemus. Sed quid melius quam de Christo exemplum sumamus? Christus Virgo: Mater ejus Virgo: Joseph justus, qui secundum carnem pater ejus dicebatur, Virgo. Hoc exemplum virginitatis: hoc exemplum humilitatis & caritatis: ecce exemplum paupertatis & nuditatis. Hos debent imitari qui virginitatem animæ & corporis desiderant habere. Hi erunt Ecclesia. Hi sunt de quibus dictum est: *Sequuntur Agnum ubicumque vadit.* Et quia Apoc. 14
v. 4. multa membra sunt Ecclesiæ & unum corpus, ideo per numerum C. XL. IIII. millia esse dicuntur. Multa sunt genera virginum, & multa conjugatorum, multa etiam pœnitentium. Una vita Sanctorum omnium, sed secundum laborem diversa merita præmiorum, quæ in hoc sexto diei curriculo non jam divisi, sed unum cum Patre Adam ingrediuntur paradisum. Non jam absconduntur nudari sub arbore, sed in stolis albis in una figuntur cruce. In hac sexta ætate sæculi reformatur genus humanum ad imaginem & similitudinem Dei. Et quia duo homines sunt interior & exterior, id est, anima & corpus, unus est de limo terræ formatus, alter est secundum Deum creatus, ut in omni mysterio interioris hominis secundum imaginem creatoris bonitate, sanctitate, & caritate perfecti esse possimus, ut Apostolus ait: *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur.* Ecce habes 2. Cor. 4.
v. 16.

interiorem hominem secundum Deum creatum : habes & exteriorem hominem de limo terræ plasmatum : habes interiorem , in quo Christus inhabitat : habes exteriorem , qui corrumpitur & dissolvitur. Hic mortalis , ille immortalis , incorporeus , rationabilis , subtilis , æternus , & ideo imago Dei. Habes interiorem hominem congaudentem legi Dei : habes exteriorem , qui opera carnis exercet. Et quia aliud est imago , aliud similitudo (diximus enim imaginem in persona esse , similitudinem verò in factis , ut Apostolus ait : *Imitatores mei estote , sicut & ego Christi*. Et alibi ex voce Dei : *Estote Sancti , sicut & ego Sanctus sum*) : videtis ergo similitudinem in sanctitate , in bonitate deputari. Denique cum dixisset Deus : *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* ; postea ait : *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei*. Non dixit ad similitudinem. Imaginem fecerat in animale Adam de invisibilitate , de immortalitate animæ ; similitudinem autem reservavit in Christo : per quem , qui ad imaginem Dei factus fuerat , iterum ad similitudinem Dei reformaretur in ipso , ut Apostolus ait : *Primus Adam in animam viventem , secundus Adam in spiritum vivificantem*. Ergo qui in animam viventem factus fuerat , similitudinem necdum acceperat : qui autem in spiritu vivificante factus est , in hoc similitudo Dei est formata. Imago enim in vultu est , ut supra diximus : similitudo verò in factis. In hac ergo similitudine , quæ est melior & proxima Deo , facile apparet , quod est in eâ Deo simile , id est , divinum , pulchrum , sincerum , non varium , non infirmum , non mutabile. Splendor est enim interni luminis Christi , quem in eo habitare dicit Apostolus. Sed quæ est ista talis anima quam nomino , aut quæ similitudo , nisi vita cælestis spiritualis , quam nulla

fœdat libido, nec vitium, nec luxuria, nec simulata co-
 lorum figmenta corrumpunt? Non avaritia. Hæc ergo
 similitudo cupiditate sæculi non inflatur. Non carnis vi-
 tio exardescit, non sævitia, aut iracundia fervescit, nec
 immani crudelitate stridet, quæ priusquam torqueat ip-
 sa torquetur. Sed habet hæc similitudo pium vultum,
 misericordes oculos, linguam defendentem, beneficam
 voluntatem. Hæc ergo optanda nobis est similitudo,
 quæ tantam habet gratiam & felicitatem, ut quod est
 pene incredibile, non jam homo, sed mutata lege &
 conditione, immortalis Deus appelletur. Et pro qua re
 dicitur Deus, & est factus non natus: id est beneficio
 Deus, non natura. Hic ergo cælo syderibusque conjunc-
 tus, æternitate potietur vitæ cælestis. Sed ne dubitetis
 quod dixi esse hominem Deum: ipse enim Deus deorum
 hoc promittit, hoc donavit. Labora vincere, ut merear-
 is Deus dici; qui ait: *Ego dixi dii estis, & filii excelsi* *Psal. 81.*
omnes. Quod dicitur simile esse, tale est, quale proto- *v. 6.*
 typus (1) veritatis, quia nec recognosci potest simile
 nisi qui habeat expressa signa per imaginem personalem.
 Et quia similem Deo diximus, ut per opera intelliga-
 tur, quia & alibi dicitur: *Nullus ei similis*; in Scriptu- *Psal. 34.*
 ra enim Sacra aliquando Deus nuncupative, aliquando *v. 10.*
 verò essentialiter dicitur. Nuncupative dicitur, ut ait:
Ecce dedi te Deum Pharaonis. Essentialiter autem Deus *Exod. 7.*
 dicitur, sicut ad Moysen ipse dicit: *Ego sum Deus* *v. 1.*
patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Ja- *Gen. 28.*
cob. Qui enim nuncupative dicitur Deus, inter omnia *v. 17.*
 est: qui verò essentialiter dicitur Deus, super omnia
 est, & unus est. Dii verò multi sunt. Nulli alii dicun-
 tur

Y 2

(1) *Cod. Burg.* pro hoc totidem. *Æmil.* pro tot *Idem.* ex quo sum-
 mam exhibentium oscitantiam animadvertes.

tur Dii, nisi Angeli, & homines: & hi Angeli mittuntur ad homines. Sed ita sunt circa nos Angeli Dei, sicut iudices terreni, & parentes optimi: qui quando iusta opera nos agere vident, laudem circa nos exhibent & favorem. Quando autem nos injusta opera facere considerant, non permittunt nos sine flagello & pœna transire. Sed terreni iudices solent muneribus redimi: illi autem nullo censu, nullis muneribus redimi possunt, nisi nostris fletibus: ille pro sua pietate eorum à nobis justam indignationem avertat, & latam in nos pro qualitate facti sententiam suâ jubeat indulgentiâ inaniri. Quod autem dicimus iratum Deum, considerandum est, quod usus nos doceat, verbi causa: iratum diximus Deum Pharaoni; sed ipsa ira per decem plagas extitit, & omnes invaserunt eum: & pœnituit etiam, & indulxit Dominus, & recesserunt. Cum ergo iratum Deum dicimus, non ipsum irascentem ostendere possumus; sed vel aërem morbidum sævientem propter hoc quod videat contemni Dominum, creatoremque suum, aut ardorem Solis, aut pluviarum inundationes, aut motum terrarum, aut barbarorum furores. Hæc omnia, ut dixi, ministerio Angelorum Dei fiunt: cujus bona data dum à nobis contemnuntur, Deum nobis faciunt sentire iratum, de sua ira, quam ad honorem Domini in suis sensibus excitant. Sicut justii iudices facere solent circa eos quos arguunt: si aliquid contra voluntatem regiam cognoverint perpetrasse, iram suam integerrimam servant: & tunc irati non fiunt, cum reus per supplicationem, sive suam, sive amicorum Regis, potuerit ad ejus indulgentiam pervenire. Deus ergo penitus iram non habet. Iram habere possunt, qui patiuntur quod nolunt; Deus autem nihil potest pati quod non vult. Et, sicut dixi, omnia simul cœlestia, & terrestria, & ea quæ sunt
in

in mari, & in abyssis, subjecta sunt Angelis Dei. Sicut Præfectis, & Comitibus, & Tribunis, sunt subjecta officia, quæ ad nutum judicum suorum alios ad lætitiâ invitant, ut gaudeant pro suorum operum qualitate; alios verò trahunt ad supplicia: alios ad verbera, alios ad custodiam, alios ad interitum, & ad gladium, & ad ignes ire præcipiunt. Ita sunt Angeli super nos. Ante adventum Redemptoris nostri inter Angelos & homines discordia erat. At ubi venit *pax nostra*, Christus, *fecit utraque unum*, & sedet super thronum, id est, Ecclesiam suam, quam sanguine suo comparavit; & disponit judicia sua per Angelos, & Episcopos, vel ceteros Sanctos, usquedum veniat ad iudicium, & *ponat rationem cum eis*. Et cui quantum talentum dedit requirat; & pro qualitate laborum aut præmia, aut damna retribuat. Justis donans æternum gaudium; impiis verò æternæ pænæ supplicium.

*Ephes. 2.
v. 14.*

Matth. 25. v. 19.

Hæc paucis per excessum diximus ut qualiter Sancti in hoc mundo cognoscerentur, monstraremus. Ipsum loquimur, Deo nostro inlustrante, quod per Testamenta firmare possumus: quia quid ante mundum factum fuit, quid etiam post mundum factum sit, nescimus. Media tantum, quæ dicimus, per auctoritatem firmare possumus. Scriptum est enim in Isaia: *Anno quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & ea quæ sub eo erant implebant Templum. Seraphim quoque stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri. Duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. Et commota sunt superliminaria cardinum. Et domus impleta*

Isai. 6.

est fumo. Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. Et dixit: Quem mittam, & quis ibit nobis ad populum istum? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Et ait: Vade, dic populo huic: Aure audietis, & non intelligetis. Hæc omnia ex voce Ecclesiæ loquutus est Sanctus Propheta. Hæc omnia potest Ecclesia dicere vel facere, quæ tam pretioso pretio est comparata. Præmissam historiam spiritualis sequitur intellectus, cujus causa ipsa historia replicata est. Nos vero in commune Dominum deprecamur, ut mihi quoque de altari carbo mittatur; &, omni peccatorum sorde deteresa, primum possim Dei sacramenta conspicerere, & postea, quæ videro, enarrare. Isaia verò, vivente leproso Rege, quandiu ille regnum tenuit, oculos non levavit ad cælum, nec aperta sunt cælestia mysteria, nec Dominus apparuit, nec in mysterio fidei Trinitatis ter Sanctum nomen auditum est: postquam verò mortuus est malus Rex, & quantum in se erat sacerdotium dissipans, aperto sese lumine cælestia prodiderunt. Sic populus Israel, dum Pharaon vixit, ex luti, & lateris, & palearum opere non suspiravit ad Dominum. Dum ille regnavit, nemo quæsit Deum Patrem Abraham, Isaac, & Jacob. Quando verò ille mortuus est, suspiraverunt filii Israel, & ascendit clamor eorum ad Dominum, cum tunc magis gaudere debuerint, & ante suspirare cum viveret. Si ergo intelligas in Ozia & Pharaone, & ceteris istiusmodi contrarias fortitudines, videbis quomodo illis ven-

ventibus nullus nostrum videat Deum, aut suspiret, & in pœnitentiam corruat. *Non regnet*, ait Apostolus, *peccatum in vestro mortali corpore*. Quando voluptatibus sæculi servimus, & plus pro corpore, quod de terra est, quam pro anima, quæ ad imaginem Dei facta est laboramus: hos Reges in nos regnantes habemus, & inde Dominum videre non possumus. Regnante nostro peccato in corpore, Ægyptiis extruimus civitates: in cinere versamur & sordibus: pro frumento paleas, pro solida petra, luti opera sectamur. *Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum & elevatum*. Vidit & Daniel sedentem Dominum solum, non super thronum excelsum & elevatum. Vide duos Prophetas, unus in excelso vidit, & unus in valle. Ipse videt eum in excelso, qui in hoc sæculo videt hos Reges sibi mortuos, & suspirat in pœnitentia. Ipse videt eum in valle, qui Oziam & Pharaonem super se Regem habet. Sicut vox divina dixit: *Veniam & sedebo, & judicabo populum in valle Josaphat*, quod interpretatur Domini iudicium. Qui peccator est, & mihi similis, videt Dominum sedentem in valle Josaphat; non in monte, non in colle, sed in valle, & in valle iudicii. Qui verò justus est, & Isaïæ similis, videt illum sedentem super thronum excelsum & elevatum. Ut autem & aliud inferam, quando eum mente pertracto regnare Thronis, Dominationibus, Angelis, ceterisque Virtutibus, video excelsum thronum ejus: quando autem considero, quomodo genus dispensat humanum, & pro nostra salute semper descendere dicitur ad terras; video humilem & terræ proximum thronum ejus. *Seraphim quoque stabant super illud, sex alæ uni, & sex alæ alteri*. Hæc duodecim alæ sunt, quod est Ecclesia in duodenario constituta. Seraphim quoque ardentes vel incendentes

Rom. 6.
v. 12.

Joel. 3.
v. 2.

Luc. 12.
v. 49.

dicuntur; de quo igne Salvator ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant, & ter *Sanctus* alter ad alterum clamabat. De his alis & per Ezechielem & per Apocalypsin supra in tertio libro plenissime explanatum invenies.

Isai. 41.
v. 22.

Nunc verò quod cœpimus, proferamus. Quorum quid verum sit, Deus viderit: quid verisimile, sequentibus exponemus. Et duabus quidem velabant faciem, & duabus velabant pedes, & duabus volabant. *Velabant faciem*, non suam, sed Dei. Quis enim ejus potest scire principium? Quid *fuit* antequam istum conderet mundum? Iterum quid futurum sit in æternitate? Quando Thronos, Dominationes, Potestates, Angelos, totumque ministerium cæleste condiderit? *Et duabus velabant pedes*, non suos, sed Dei. Pedes, extrema pars corporis est. Extrema quippe ejus scire quis potest? Quid post consummationem sæculi sit futurum? quid sit postquam genus humanum fuerit judicatum? quæ sequatur vita? an rursus alia futura sit terra? & post transitionem alia iterum elementa? vel alius mundus, solque condendus sit? *Priora annuntiate mihi, & novissima, quæ futura sunt; & dicam quia Dii estis*, ait Isaias, significans neminem posse quid ante mundum fuerit, & quid post mundum futurum sit, enarrare. Et duabus volabant, & clamabant alter ad alterum, & dicebant ter *Sanctus*. Duo qui clamabant lex est & Evangelium. Per hos ergo media tantum cognoscimus; quæ Scripturarum nobis lectione panduntur: quando mundus factus est, quando plasmatus homo, quando diluvium, quando lex data sit, ut ex uno homine universa terrarum spatia completa sint, & in extremo tempore Dei filius pro

nostra salute sumpserit carnem. Cetera verò quæ diximus, ista duo Seraphim in facie pedibusque texerunt. *Et clamabat alter ad alterum.* Pulchre positum est *alter ad alterum*: quidquid enim in veteri legimus Testamento, hoc idem in Evangelio reperimus: & quod in Evangelio fuerit lectitatum, hoc in veteris Testamenti auctoritate deducitur. Nihil in eis dissonum, nihil diversum est. Et dicebant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* In ambobus Testamentis Trinitas prædicatur. Quod autem Sabaoth & Salvator noster esse dicatur, accipe exemplum in XX. III. Psalmo. Virtutes, quæ Domino ministrabant, ad cælestes alias fortitudines proclamabant, ut pandant Domino januam revertenti: *Tollite portas Principes vestras, & introibit Rex gloriæ.* Rursus illæ fortitudines, quia indutum carne Christum conspiciunt, novo mysterio stupefactæ interrogant: *Quis est iste Rex gloriæ?* Accipiuntque responsum: *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.*

*Psal. 23.
v. 7.*

Plena est universa terra gloria ejus. Hoc adhuc à Seraphim dicitur de adventu Domini Salvatoris, quomodo in omnem terram prædicatio illius porrigatur, & Apostolorum sonus mundi limites penetret. *Et elevatum est superliminare à voce qua clamabant.* Legimus in veteri Testamento, quod semper Dominus Moysi & Aaron ad ostium tabernaculi sit locutus, cum ante Evangelium eos necdum in Sancta Sanctorum induxerit; sicut Ecclesia postea introducta est, dicens: *Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Quando ergo Dominus noster descendit ad terras, superliminare illud elevatum est. In græco *sublatum* dicitur, id est, quasi quoddam obstaculum intrare cupientibus sublatum est. *Et universus hic mundus impletus est*
fu-

*Cant. 1.
v. 3.*

Deuter. 4. v. 24. *fumo*, id est, gloria Domini. Et Deus *ignis est consumens*. Hinc cum in Syna monte descendisset ad Moysen, ad adventum ejus videbantur lampades discurrentes, & plenus omnis mons fumo. Unde in *Psal.* 103. v. 32. mo dicitur: *Qui tangis montes, & fumigabunt*. Ex igne ergo quoniam totam substantiam capere non possumus, levior quædam in universum mundum, & ut ita dicam, rarior fuminatura dispergitur; quam nos capientes, dicamus: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*. Et, *nunc videmus in speculo, & in ænigmate*. Ergo quæramus ubi sit hoc incendium salutare: nulli dubium, quin in sacris voluminibus, ex quorum lectione diversa omnium vitia purgantur. Et hæc Ecclesia, quæ est domus Dei, per Scripturas impleta est fumo. *Et dixi: Væ mihi, quia tacui*. Vides quia Isaias tantum in sermone peccaverat, & inde labia habebat immunda. Et, quantum ego arbitror, quia Oziam Regem in templum ruentem non corripuerit; qui postquam obierat Zacharias Sacerdos, volens per se offerre donaria Sacerdotali ordine, non tam pie, quam audacter invasit: & reclamantibus Levitis & Sacerdotibus, *Nonne tu es Ozias, Rex, & non Sacerdos?* audire noluit. Statimque lepra in fronte perfusus est. Hic intelligitur, cum alii clamassent, Isaias tacuit: & inde post ejus mortem polluta labia conspexit, dicens: *Væ mihi, quia tacui*. Isaias, ut justus, tantum in sermone peccaverat: ideo sola labia habebat immunda. Ego ut loqui, (1) & oculis video ad concupiscendum, etsi animo scandalizor, & pede, & omnium membrorum parte delin-

(1) *Restitui hæc ita, vel simili modo, possunt: Ego si ut detrahā loquor, & c.*

linquo, immunda habeo omnia. Et quia semel spiritu baptizatus tunicam pollui, secundi baptismatis purgatione, id est, ignis, indigeo. Non sunt, ut quidam putant, in Scripturis verba superflua. Plurimum in his absconditum est. Aliud littera, aliud mysticus sermo significat. Ecce Dominus in Evangelio cingitur linteo, pelvem ad lavandos pedes Discipulorum præparat, servi fungitur ministerio: & hoc ut doceat humilitatem, ut nobis invicem ministremus. Non abnuo, non recuso: quid est hoc quod Petro recusanti dicit: *Ni- si laveris pedes tuos, non habebis partem mecum*; & ille respondit: *Non solum pedes, sed & manus & caput*? Ascensurus Dominus ad cælum, quia Apostoli, ut homines terræ insistentes, adhuc habebant peccatorum sordibus pollutos pedes; vult eos à delictis penitus liberare, ut eis possit prophetalis sermo congruere: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem*; & imitari valeat Ecclesiæ verba dicentis: *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos*? Ut etiam, si quis post resurrectionem, vel postea his adhæserit pulvis impius, (1) eum excutiant in civitate in testimonium laboris, quo eò usque pro omnium salute contendunt, facti Judæis ut Judæi, Gentilibus ut Gentiles, ut etiam priora vestigia aliqua ex parte polluerint. Igitur ut ad propositum revertamur, sicuti Apostoli purgatione indigebant pedum, ita Isaias purgatione labii dignus efficitur. Populus verò non solum non agens pœnitentiam, sed nec sciens quidem quia Isaias labia habebat immunda, purgationis remedium non meretur. Propheta verò qui se in labiis deliquisse cognovit, Angelum cum carbone ad sua purganda labia sen-

Joan. 13.
v. 8.

Rom. 10.
v. 15.
Cant. 5.
v. 3.

(1) *Melius*, in pedibus.

sensit. Nos verò, quia primam sententiam sequimur, Evangelicum Testamentum asserimus missum ad Prophetam, quod habens in se utraque mandata, & suæ & veteris Testamenti ignitum sermonem Dei, duplici præceptorum acie comprehendit, & tactis labiis quidquid fuerat ignorantiae purgavit. Quod siquidem nos labia interpretamur immunda, purgationis suæ pepulit veritate. Hac forcipe Jacob in scala conspicit. Hic est gladius bis acutus. Hæc duo minuta, quæ mulier vidua mittit in dona Dei. Hic stater duos denarios habens, qui in ore piscis repertus pro Domino & Petro redditur. Hac duplici unione retinentur virtutes. Carbo comprehensus mittitur ad Prophetam, quem in centesimo vigesimo nono Psalmo, cum Propheta Deum rogaret, dicens: *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Et post interrogationem Spiritus Sancti: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* dictum est: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.* Scimus Prophetæ esse concessum: verè quippe desolator carbo qui linguam puram facit à peccato, sermo divinus est, de quo dicitur: *Habes carbonem ignis, sedebis super eos.* Hi erunt tibi in adiutorium. Ecce qualiter habet labia purgata, qui, mortuo Rege Ozia vel Pharaone, suspirat in pœnitentia. Ipse est Ecclesia, ipse & centum quadraginta quatuor millia. Et quia calculando per numerum, Deo præcedente, explanavimus omnem mundum, nunc recurramus ad ipsum numerum, quem Sanctus Apostolus audisse testatur, dicens:

Audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Jam supra diximus centum quadraginta quatuor millia omnem esse Ecclesiam. Sed quanti sint numerati dicun-

Ps. 119.
v. 2.

cuntur, & quales sint qui ad imaginem & similitudinem Dei requiruntur, qui non quemlibet Sanctorum imitando, sed ipsam veritatem contemplabiliter intuendo, & operando justitiam, ut ipsam intelligat, & sequatur, ad cuius imaginem & similitudinem factus est veritatis, & quales cognoscere debeat, jam supra diximus. Ceterum de numero signatorum in finem mundi, cum Judæa ad finem venerit, per duodena millia C. XL. III. millia virginum de Israel esse creduntur. Et si virginum tantæ fuerint, putas non virginum quantum erit? Verum, quia per numerum diximus, & per senarii numeri perfectionem esse explanavimus, nunc de senario duplicato XII. fiunt. Hæc est Ecclesia in duodenario numero constituta, id est, Apostoli: & duodecies ducti C. XL. III. sunt. Quia omnis Ecclesia, ut supra dictum est, C. XL. III. millia sunt: & C. XL. III. millia de duodenario numero proficit. Bis XII. XXIII. fiunt. Hi sunt XXIII. seniores. Duodecies decem fiunt C. XX. Hic C. XX. animæ sunt super quas Spiritus Sanctus descendit igneis linguis in Pentecoste. Hæc est prima Ecclesia, quæ fundata primum est supra Christum petram: super quod *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Hoc est fundamentum etiam totius Ecclesiæ membrorum exemplum. Quidquid in hoc exemplo non est, in fundamento non est, nec templum est. Hos mensurat cum arundine: hos non excludet foras, quia ipse est templum cælestis Jerusalem. Ad hos centum viginti adde viginti quatuor seniores, fiunt centum quadraginta quatuor. Et ut perficias C. XL. III. millia, per singulos XII. pone decem millia, id est, pro uno XII. millia, & pro alio sic, quousque compleas XII. & invenies per summam C. XX. millia. Adde & XX. III. seniores, fiunt C. XL. III. millia. Et hæc est omnis omnino Ec-

1. Cor. 3.
v. 11.

Ecclesia, quæ in tot numero membrorum creditur esse fundata, quod est Christus, supra firmissimam petram. Nam Sanctorum numerus innumerabilis esse perhibetur, *Ps.* 138. Propheta adtestante David: *Mibi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, valde confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* Christo, cui nihil latet, numerati sunt, qui ad imaginem & similitudinem requiruntur. Nobis tamen innumerabiles sunt, quia super arenam multiplicati sunt. Sic dicit: *Post hæc vidi, & ecce turba multa quam dinumerare nullus poterat, ex omni gente, & tribu, & populis, & linguis.* Non dixit, post hæc vidi alium populum, aut aliam turbam, sed vidi populum; id est, eundem quem vidit in mysterio C. XL. III. millia, hunc vidit modò innumerabilem: & quem vidit ex omni tribu filiorum Israel, ipse est turba multa ex omni tribu, & populo, & gente, & lingua. Quid sit C. XL. III. millia exposuit, dicens, *innumerabilem*: Et quid sit, *ex omni tribu filiorum Israel*, exposuit, dicens: *Ex omni gente, tribu, & populo, & lingua.* Omnis enim natio, gens, tribus, populus, lingua, qui ad finem veniunt, in hac radice inseruntur; & fit ipse qui venit, XII. tribus Israel. Dominus enim in Evangelio manifestat totam Ecclesiam sive ex Judæis, sive ex gentibus, XII. tribus Israel esse, dicens: *Vos qui secuti estis me, sedebitis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel.* Cum manifestum sit omnem Ecclesiam judicatu-
Matth.
19.v.28. ros, quæ est ex omni gente, non ex sola circumcissione. Apostolus denique introitum gentium Israel dixit implere: *Donec plenitudo gentium intret, & sic omnis Israel salvus fiet.* Ut autem ostenderet, C. XL. III. millia ipsam esse sine numero, & XII. tribus Israel, ipsam esse omnes gentes; tacuit C. XL. III. millia,

lia, & populum innumerabilem solum dixit stolatum, & abstersum lacrymis remuneratum. Non ut quidam putant, isti sunt infantes quos Herodes occidit; quod *ineptum* (1) esse non est laboris ostendere: Illi enim tantum ex tribu Juda fuerunt: isti autem ex omni tribu, & gente, & lingua.

Stantes, inquit, *in conspectu throni*, & *in conspectu Agni*, *amicti stolis albis*, & *palmæ in manibus eorum*, & *clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro sedenti in throno*, & *Agno*: & *omnes Angeli stabant in circuitu throni*, & *seniorum*, & *quatuor animalium*. Et quid esset ipsa turba, exposuit dicens: *Et omnes Angeli stabant*. Nihil est enim quod præter Ecclesiam describat. Quod autem ait, *palmæ in manibus eorum*, non immerito justorum vita palmæ comparatur: quia scilicet palma inferius tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obvoluta; superius verò & visu & fructibus pulchra: inferius corticum suarum involutionibus angustatur; sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur. Sic quippe est electorum vita, despecta inferius, superius pulchra. Juxta terram istam, id est, in ima, quasi multis corticibus obvolvitur, dum innumeris tribulationibus angustatur: in summa verò illa æternitate quasi pulchræ viriditatis foliis amplitudine retributionis expanditur. Habet quidem aliud palma, quod ab omnium arborum generibus differt. Omnis namque arbor in suo robore juxta terram vasta subsistit, sed crescendo superius angustatur, & quantum paulisper sublimior, tantum in altum subtilior redditur. Palma

ve-

(1) *Codices*, quod in Ægyptum: *Id autem, cum sit ineptum, adlatam, vel feliciorē, postulat correctionem.*

verò minoris amplitudinis juxta terram inchoat, & juxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit. Et quæ tenuis ab imis proficit, vastior ad summa subcrescit. Quibus itaque alia arbusta, nisi terrenis mentibus, & terrena lucra desiderantibus, inveniantur esse similia? In hac vita vasta, in illa vita angusta. Quia sine dubio omnes hujus sæculi amatores in terrenis rebus fortes sunt, in cælestibus debiles. Nam pro temporali gloria usque ad mortem desudari appetunt, & pro spe perpetua ne parum quidem in labore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet injurias tolerant: & pro cælesti mercede vel tenuissimi verbi ferre contumelias recusant. Terreno judicio tota etiam die adsistere fortes sunt: in oratione verò coram Domino vel unius horæ momento lassantur. Sæpe nuditatem, dejectionem, famem, pro acquirendis divitiis atque honoribus tolerant: escarum rerum se abstinencia cruciant, atque ad adipiscenda lucra festinant: superna autem laboriosè quærere, tanto magis dissimulant, quanto ea retribui tardius putant. Hi itaque quasi arborum more deorsum vasti sunt, sursum verò angusti: quia fortes in inferiora subsistunt, sed ad superiora deficiunt. At contra ex qualitate palmarum designatur proficiens vita justorum, qui nequaquam sunt in terrenis studiis fortes, neque in cælestibus debiles; sed longius atque distantius studiosos se Deo exhibent, quam sæculo fuisse meminerunt. Nam quibusdam per prædicatorem nostrum dicitur: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibite membra vestra servire justitiæ in sanctificatione.* Eorum sine dubio infirmitati condescenditur, acsi eis apertius diceretur: Si nequaquam amplius potestis, saltem tales estote in fructu-

Rom. 6.
v. 19.

fructu bonorum operum, quales fuistis antea in actione vitiorum. Nec debiliores vos habeat sancta libertas caritatis, (1) quos in carne validos habuit usus terrenæ voluptatis. Sunt verò nonnulli, qui cum cælestia appetunt, atque hujus mundi noxia facta derelinquunt; ab iniqua tamen cogitatione sua quotidie inconstantiae pusillanimitate deficiunt. Quibus hos, nisi arbustis reliquis similes dixerim, quæ nequaquam tales superius surgunt, quales inferius oriuntur? Hi quippe in conversionem venientes, non tales quales cœperunt perseverant, & quasi more arborum in inchoatione vasti sunt, sed tennes crescunt: quia paulisper per argumenta temporum patiuntur detrimenta virtutum. Molliter quippe in eis desideria superna languescunt: & qui robusta ac fortia proposuerunt, debilia atque infirma consummant: dum quietis augmento proficiunt, quasi flexibiles crescunt. Palma verò, sicut dictum est, vastioris in summitate est, quam esse cœperit quantitatis ex radice. Quia sæpe electorum conversio plus finiendo peragit, quam proponit inchoando. Et si tepidius prima inchoat, ferventius extrema consummat: videlicet semper inchoare se æstimat; & propterea infatigabilis in novitate perdurat. Hanc scilicet justorum constantiam Propheta intuens, ait: *Qui confidunt in domino, mutabunt fortitudinem, & adsumunt pennas ut aquilæ; current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* Mutant quippe fortitudinem, quia fortes student esse in spiritali opere, qui ante fuerant fortes in carne. Adsumunt autem pennas ut aquilæ, quia contemplando volant. Current, & non laborabunt; quia velocius magna ce-

Isai. 40.
v. 31.

(1) Ex Divo Gregorio in cap. 29. Job, restituius caritatis, ubi Mss. habent libertas aeris.

leritate prædicant. Ambulabunt & non deficient, quia intellectus sui velocitatem retinent, ut tardioribus condescendant. In cunctis verò bona quæ accipiunt, quanto aliis libenter adcommodant, tanto ipsi incommutabiles in novitate perdurant: & qui tenues à radice inchoationis exeunt, fortes in culminis perfectione convalescunt.

Sic dicit: *Et ceciderunt in conspectu throni, & in conspectu Agni in facies suas, & adoraverunt Deum, dicentes Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum Amen.* Et ut ostenderet, turbam innumerabilem, quam vidit stantem in conspectu throni, ipsos esse Angelos, qui ceciderunt in faciem & adoraverunt; neque ipsam turbam, neque animalia, neque seniores hoc loco dixit adorasse, sed solos Angelos. Ipsi Angeli, ipsi sunt turba, ipsi seniores, & animalia, ipsi prociderunt & adoraverunt Deum. *Et respondit unus ex senioribus dicens mihi: Isti, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, aut unde venerunt? Et dixi illi: Tu scis Domine.* Unus ex senioribus Ecclesia est: unus unum perdocet, id est, Ecclesia Ecclesiam. Unus alteri annuntiat quæ sit remuneratio laboris Sanctorum, dicens: *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni.* Non, ut aliqui putant, martyres soli sunt, sed omnis Ecclesia. Non enim in sanguine suo lavisse dixit stolas, sed in sanguine Agni, id est, in gratia Dei per Christum, sicut scriptum est: *Et sanguis filii ejus emundat nos. Propterea sunt in conspectu throni Dei, & serviunt illi die ac nocte in throno ejus.* Id est, in lege Dei meditantur die ac
noc-

nocte: *in throno ejus*, id est, in Ecclesia. *Et qui sedet in throno, habitabit super eos.* Et ipsi thronus sunt, super quos habitabit Deus, id est, Ecclesia. *Et non esurient amplius, neque sitient.* Sicut Dominus dicit: *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: qui credit in me, non sitiet unquam.* Et iterum: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed erit in illo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Joan. 6.

v. 51.

Cap. 4.

v. 13.

Neque cadet super eos Sol, neque omnis æstus. Sic per Isaiam dicit Deus de Ecclesia: *Erit in umbra ab æstu in tecto, & in abscondito à duritia & imbre.* Et iterum: *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem.* Sol Christus est. Qui in Christo offendit, Sol ustulat eum per diem. Luna Ecclesia est. Qui in Ecclesia offendet, Luna uret eum per noctem. Virtutem Sacramentorum dicit in suis vigere, nec aliqua Solis & Lunæ adversante deceptione restringi. *Quoniam Agnus qui sedet in medio throni, pascet eos.* Agnus Christus est. Agnum dixerat accepisse à sedente in throno: nunc Agnum in medio throni. Revera Christus est in medio Ecclesiæ: ipsa est thronus ejus, cum qua resurrexit in throno. *Et deducet eos ad vitæ fontes aquarum*, sicut ipsa Ecclesia dicit: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit; & in loco viridi ibi me conlocavit. Super aquam refectiois enutrivit me.* Item per Isaiam: *In omnibus viis pascentur, & in omnibus semitis pascua illorum. Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus, & Sol, quia miserator eorum teget eos, & ad fontes aquarum potabit illos. Et ponam omnes montes meos in via, & omnem semitam in pascua illis.*

Isai. 4.

v. 6.

Ps. 120.

v. 6.

Psal. 22.

v. 1.

Isai. 49.

v. 9.

Et delebit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

Omnia hæc spiritualiter veniunt Ecclesiæ, cum dimissis peccatis resurgimus, & veterem hominem priorem expoliamus, Christum induimus, & gaudio spiritus implemur. Hujusmodi namque vitam sic Dominus promittit Ecclesiæ: *Ecce ego facio Jerusalem in hilaritatem, & plebem meam in jocunditatem: etiam non audietur in illa vox plorationis, neque vox clamoris, & non erit illic jam maturus, & senior, qui non implevit tempus suum: quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Ædificabunt domos, & ipsi habitabunt: & plantabunt vineas, & ipsi bibent vinum earum.* Ista omnia spiritualia sunt in Ecclesia, quia non mundi cultura, cujus labores frequenter exinaniantur incursibus. *Quoniam puer centum annorum morietur: omnis enim qui in ignorantia cæcitatibus ambulat, & quæ Dei futura eveniant non considerat, licet ad centum annos moriatur, puer est: Et peccator centum annorum maledictus erit: omnis enim qui quod rectum est intelligit, & operari pigrescit, maledictus erit.* Omnis enim sexus & ætas in ætatem Christi baptizatur, sicut Apostolus dicit: *In virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Qui moritur autem peccator, licet baptizatus & sapiens videatur, erit maledictus, ne quis putaret quod omnis multum vivens, benedictus sit, secundum primam promissionem, *ut bene tibi sit, & sis longi temporis super terram.* Concludit utramque narrationem septimo sigillo, quod reiterat, ut recapitulet: quia supra in sexto sigillo fecerat finem, & recapitulaverat: nunc verò inchoat septimum sigillum. *Explicit explicatio VI. sigilli.*

INCIPIT EXPLANATIO SIGILLI VII.

ET cum aperuisset sigillum septimum, factum est Cap. VIII
silentium in caelo: Et partem (1) silentii vidit,
 qua eandem visionem vidit. Hoc opus plenius visu-
 rus erat, quod in hoc septimo signo non videt tan-
 tum, quantum adhuc futurus erat videre. Et, ut ei
 apertius multa ostenderentur, interruptum est silentium.
 Quod si esset jugis locutio, non esset finis verus. Hic
 videndum est narrandi finem facere. Nunc verò reca-
 pitulat à Christi passione eadem aliter dicturus. *Ex-*
plicit liber quartus.



INCIPIT LIBER QUINTUS.

ET vidi septem Angelos, qui stabant in cons- Vers. 2.
 pectu Dei, qui acceperunt septem tubas. Et
 „alius Angelus venit, & stetit super aram habens thu-
 „ribulum aureum: & data sunt illi odoraamenta mul-
 „ta, [ut daret] de orationibus Sanctorum omnium su-
 „per aram auream, quæ est in conspectu Domini. Et
 „ascendit fumus odoraamentorum de orationibus Sanc-
 „torum, & de manu Angeli in conspectu Dei. Et
 „accepit Angelus thuribulum, & implevit illud ex
 „igne aræ: & misit eum in terram, & factæ sunt
 „voces, tonitrua, & fulgura, & terræmotus.”

(1) Sic Primasius (partem non parentem) ut in Codicibus.

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ in libro V.

IN hoc libro recapitulat ab origine dicens : *Et vi-
di septem Angelos , qui stabant in conspectu Dei.*
Septem Angelos , septem Ecclesias dicit , quæ supra
scriptæ sunt , sed adhuc alias visiones , quas visurus
erat per hos septem Angelos , *Qui acceperunt septem
tubas* , id est , perfectam prædicationem , sicut scrip-
tum est : *Quasi tuba exalta vocem tuam. Et alius An-
gelus venit , & stetit super aram.* Hoc quoque nar-
rationis genus quod dicit , spiritualiter intelligendum
est. Frequenter enim spiritualiter quod proponit , in
parvo sermone comprehendit , & breviter enarrat. Et
finito eo quod ad obscurandum interposuerat , ad pro-
positum redit. Primum enim proposuit septem Ange-
los accepisse tubas , nunc verò dicit : *Alius Angelus
venit , & stetit super aram.* Iste Angelus Christus
est , qui stat super Ecclesiam suam spiritu septiformi
plenam : ut intelligas post septem Angelos venisse.
Joannes verò uno tempore hoc vidit , & Angelo
veniente illi septem tubas acceperunt , id est , per om-
nem mundum Christum adnuntiaverunt. Quidem &
ante adventum Christi prædicabat Ecclesia , sed tan-
tum in Judæa. Super aram enim jussit Deus per Moy-
sen neminem ascendere , nisi Christus venisset. *Ha-
bens thuribulum aureum.* Thuribulum enim , incensa-
rium dicimus , quod est corpus Christi. Ipse enim Do-
minus factus est thuribulum , ex quo Deus odorem sua-
vitatis accepit , & propitius factus est mundo. Reliquit
semel exemplum , ut sequamur vestigia ejus ; & tunc
bonus odor Christi sumus. *Et data sunt illi odora-*
men-

Isai. 58.
v. 1.

Ex Pri-
masio,
lib. 3.

1. Petr.
2. v. 21.
2. Cor. 2.
v. 15.

menta multa [ut daret] (1) de orationibus Sanctorum omnium super aram auream, quæ est in conspectu Dei. Ex orationibus Sanctorum obtulit odoramenta. Ipse enim legavit Ecclesiæ suæ preces quibus Deus propitiatus est, sicut dicit: Et ascendit fumus odoramentorum de orationibus Sanctorum, & de manu Angeli in conspectu Dei. Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud ex igne aræ. Jam thuribulum corpus Christi diximus, aram verò Ecclesiam. Accepit Dominus corpus, id est, Ecclesiam, quia in corpore Christi fide imitando Christum conjungitur in membrum, & perficiendo patris voluntatem implevit illam ex igne aræ, id est, ex potestate, cum dicit: Sicut me misit Pater ad passionem, & ego mitto vos ad passionem, quæ consistit in sacrificiis & propitiatione Dei. In his enim accepit Ecclesia omnem potestatem in cælo, & in terra, dum Dei sacrificium perficit offerente Domino. Et misit eum in terram. Quoniam Ecclesia venit in mundum ita, sicut per Zachariam dicitur: Ponam tribunos Juda sicut torrem ignis in lignis, & sicut faciem ignis in stipula; & comedent à dextris & sinistris omnes populos in circuitu: quia qui Ecclesiæ non obedit, sine dubio iram Domini incurrit. Et factæ sunt voces, & tonitrua, & fulgura, & terræmotus. Voces, & tonitrua, & fulgura Ecclesiæ, sunt prædicamenta: terræmotus autem persecutiones sunt generaliter quas patitur Ecclesia, quia semper tribulationem patitur, ubi prædicat. Hæc dixit facta in tempore, & in omnes directæ potestates usque in finem. Deinceps verò repetit quæ præmisit, & septem Angelos quos præposuerat, sigillatim per partes expositurus. Et septem Angeli qui

*Zach. 12
v. 6.*

(1) Deest in Codicibus nostris ut daret.

habebant septem tubas , præparaverunt se , ut canerent. Id est , septem Ecclesiæ præparaverunt se ad prædicandum.

Et primus Angelus tuba cecinit , & facta est grando , & ignis , mixta in sanguine. Facta est ira Dei , quæ haberet in se multorum necem. Et missa est in terram , & tertia pars terræ combusta est , & tertia pars arborum combusta , & omne fœnum viride combustum est. Terra , arbores , fœnum , hoc omne unum est. Tres partes dixit , quia tres ordines sunt , id est , Ecclesia , & falsi fratres , qui Christiani dicuntur ; tertia est de infidelibus. Contra has duas partes , geminum malum , pugnat Ecclesia : & hæ duæ partes contra Ecclesiam pugnant. Sic Deus per Zachariam promittit percutere pastores , & adhærentes sibi in toto orbe , & eruere oves. Et ex tribus partibus unam liberare ; duas verò interire , id est , Gentiles , & Christianos malos , qui solum nomine Christiani sunt , opere verò gentiles sunt : & istæ partes duæ sunt. Et duobus modis à Deo recedit homo , aut fide , aut opere. Nam sicut qui fidem non habet , à Deo alienus est ; ita qui opere recedit , ab omnipotente Deo alienus dicitur , etiamsi in Ecclesia fidem tenere videatur. Has tres partes esse in omnem terram , unam ex his liberandam , quæ sunt oves , quod est Ecclesia.

Zachar.
3. v. 7.

Zach. ibi. Gladium , dixit , exurgere super pastores , & super virum civem ejus , dicit Dominus omnipotens. Percutite pastores , & eruite oves , & inducam manum meam super pastores , & erit in omni terra dicit Dominus. Duæ partes exterminabuntur , & deficient , & tertia pars relinquetur in ea , revera in terra omnia : Et deducam tertiam partem per ignem , & uram eos sicut uritur argentum , & probabo illos quemadmodum

dum probatur aurum. Ipse invocabit nomen meum, & ego exaudiam eum, & dicam, Populus meus es: & ipse dicet, Dominus Deus meus es tu. Antè enim quam separatio sit in die iudicii, omnes qui videntur, populus Dei putatur, aut ab his qui se solos putant populus Satanæ per orbem: in quo cum discessio facta fuerit, id est, persecutio, apparebit tertia Dei, & ipsis dicit Deus, quos pro suo nomine pati videt, *populus meus es tu; & ille dicit, Deus meus es tu.* Fœnum autem viride, carnem dixit saginatam & luxuriosam: nam *omnis caro fœnum.* Hæ tres partes inter se dissentiunt: sed solum una est Dei, quæ sive in hoc mundo, sive in iudicio salvatur. Sicut per Job dicitur: *Sed non salvat impios, & iudicium pauperibus tribuet.* Scriptura Sacra plerumque *pauperes* humiles vocare consuevit: unde in Evangelio cum adjectione spiritus nominantur, dum dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quia enim divitiæ visibilibus potentes ostendunt, apud semetipsos pauperes sunt, qui elati in suis conscientiis non sunt. Eos verò impios vocat, qui aut à fidei pietate disjuncti sunt, aut in hoc quod fideliter credunt, pravis sibi moribus contradicunt. Quia ergo omnipotens Deus malitiæ superbiam damnat, non potentiæ celsitudinem, sicut dictum est: *Deus potentem non abjicit,* cum & ipse sit potens: *sed non salvat impios; & iudicium pauperibus tribuet,* id est, elatos destruet, humiles verò per iudicium liberos reddet. Vel certe iudicium pauperibus tribuet, quia hi qui in hoc sæculo nequiter opprimuntur, ipsi tunc in die iudicii super oppressores suos iudices veniunt. Duæ quippe sunt partes in iudicio, electorum, scilicet, atque reproborum. Sed bini ordines eisdem singulis parti-

Isai. 40.
v. 6.

Job 36.
v. 6.

Matth. 5.
v. 3.

tibus continentur. Alii namque judicantur, & pereunt: alii non judicantur, & pereunt: alii judicantur, & regnant. Judicantur, & pereunt, quibus Dominica inclamatione dicitur: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare. Sitiivi, & non dedistis mihi bibere. Hospes eram, & non collegistis me. Nudus, & non operuistis me. Infirmus, & in carcere, & non visitastis me.*

Quibus præmittitur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & Angelis ejus.*

Alii verò in extremo judicio non judicantur & pereunt,

Psal. 1.

v. 5.

Joann. 3.

v. 18.

Rom. 2.

v. 12.

de quibus Propheta ait: *Non resurgunt impii in judicio: & de quibus Dominus dicit: Qui autem non credit, jam judicatus est.* Et de quibus Paulus ait: *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Resurgunt etiam omnes infideles, sed ad tormentum, non ad judicium. Non enim eorum tunc causa discutitur, qui ad conspectum districti judicis jam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Professionem verò fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant. Qui verò nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem judicis in extrema examinatione non audiunt, quia prædamnati infidelitatis suæ tenebris, ejus, quem despexerunt, invectione redargui non merentur. Illi saltim verba judicis audiunt, qui ejus fidei saltim verbo tenuerunt. Isti damnatione sua æterni judicis nec verba percipiunt, quia ejus reverentiam nec verbo tenus servare maluerunt. Illi legaliter pereunt, qui sub lege positi peccaverunt: istis in perditione sua de lege nihil dicitur, quia nihil legis habere conati sunt. Princeps namque terrenam rempublicam gerens, aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter hostem exterius rebellantem. In illo jura sua consulit, eumque sub verbis dignæ inventionis addicit: contra hostem

verò bellum movet, instrumenta perditionis exercet, dignaque ejus malitiæ tormenta retribuit: de malo verò ejus quid lex habeat, non requirit. Neque enim lege necesse est perimi, qui lege numquam potuit teneri. Ita ergo in extremo judicio, & legalis illum invectione percutit, qui ab eo quod professione tenuit, actione declinavit. Et iste sine judicii inventione perimitur, qui lege fidei non tenetur. Ex electorum verò parte alii judicantur & regnant, qui vitæ maculas lacrymis tergunt. Quia mala præcedentia factis sequentibus redimētes, quidquid illicitum aliquando fecerunt, ab oculis judicis eleemosynarum superductione cooperiunt. Quibus judex veniens in dextera consistentibus, dicit: *Esuriivi, & dedistis mihi manducare. Sitiivi, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & operuistis me. Infirmus, & visitastis me. In carcere eram, & venistis ad me.* Quibus præmittit, dicens: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Alii autem non judicantur, & regnant: qui etiam præcepta legis perfectionis virtute transcendunt, quia nequaquam hoc solum quod cunctis divina lex præcepit, implere contenti sunt; sed præstantiore desiderio plus exhibere appetunt, quam præceptis generalibus audire potuerunt: quibus dominica voce dicitur: *Vos qui reliquistis omnia vestra, & sequuti estis me, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos judicantes duodecim tribus Israel.* Et de quibus Propheta ait: *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui.* Et de quibus Salomon, cum de Sanctæ Ecclesiæ sponso loqueretur, intulit, dicens: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.* Hi itaque extremo judicio non judican-

Matth.

19.v.28.

Isai. 3.

v. 14.

Prov. 31.

v. 23.

tur

tur & regnant, quia cum auctore suo etiam iudices veniunt: relinquentes quippe omnia, plus prompta devotione hæc secuti sunt, quam juberi generaliter audierunt. Speciali namque jussione paucis perfectioribus, & non generaliter omnibus dicitur hoc quod adolescens

Matth. dives audivit: *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni & sequere me.* Si enim sub hoc præcepto cunctos jussio generalis adstringeret, culpa profecto esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est quod per Scripturam Sacram generaliter omnibus præcipitur, aliud quod specialiter perfectioribus imperatur. Hi ergo recte sub generali judicio non tenentur, quia præcepta generalia vivendo vicerunt. Sicut enim non judicantur & pereunt, qui suadente perfidia lege teneri contemnunt; ita non judicantur & regnant, qui suadente pietate etiam ultra generalia divinæ legis præcepta proficiunt. Hinc

Actor. est quod Paulus etiam specialia præcepta transcendens, plus opere exhibuit, quam institutione permissionis accepit. Cum enim accepisset, ut Evangelium prædicans de Evangelio viveret; & Evangelium audientibus contulit, & tamen Evangelii sumptibus sustentari recusavit. Cur ergo iste judicetur ut regnet, qui minus quod servaret accepit, sed majus quam juberetur invenit? Dicatur igitur recte: *Judicium pauperibus tribuit, quia quanto huic mundo magna humilitate despecti sunt, tanto tunc in judicio acceptis sedibus majori culmine potestatis excrescunt. Explicit historia primæ tubæ.*

INCIPIT HISTORIA SECUNDI ANGELI.

Cap. VIII " **E**T secundus Angelus tuba cecinit, & velut mons
v. 8. " magnus ignis ardens missus est in mare, & fac-

»ta est tertia pars maris sanguis, & mortua est tertia
»pars creaturæ in mare, habens animas, & tertiam
»partem navium corruerunt." *Explicit historia.*

INCIPIT EXPLANATIO EJUSDEM HISTORIÆ.

E*t secundus Angelus tuba cecinit, & velut mons magnus ignis ardens missus est in mare. Mons ardens diabolus est, missus in populos. Et facta est tertia pars maris sanguis.* Mare sæculum istud dicit. Quod est tertia pars terræ, vel arborum, quod supra exposuimus, ipsa est tertia pars maris. Tertiam dixit, quia in toto mundo tres partes exponit. Quod autem dixit, *facta est tertia pars maris sanguis*; ipsa est in Ecclesia sub nomine Christianitatis. Sic in Ægypto aquæ primum vertuntur in sanguinem. Mare & Ægyptus, iste mundus est. Licet in Ægypto corporaliter gesta sint, spiritualiter tamen nunc geruntur in nobis. Aquæ versæ in sanguinem, id est, doctrina Philosophorum, in sæculo carnaliter intellecta. Multa de Scripturis proferunt, sed carnaliter sentiunt: unde & mare, id est, populus, eos imitando in sanguinem vertuntur, quos crux Christi, id est, penitentia, ab Ecclesia expellit. *Et mortua est tertia pars creaturæ in mari habens animas.* Quod est creatura, hoc est & mare: unam rem dividit in duas partes. Sicut terram & arbores habentia animas dixit, ut ostenderet vivos & mortuos dixisse. *Et tertiam partem navium corruerunt.* Jam supra diximus, quia Philosophorum & hypocritarum dogma terram corrumpit tertiam, succedentem sibi. Corrumpunt terram, id est, terrenos, qui ad cælestia non adsurgunt. Quod est mare hoc creatura: in mari hoc sunt & naves. *Explicit secunda tuba.*

INCIPIT TERTIUS ANGELUS HISTORIÆ.

Cap. VIII
v. 10.

ET tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cælo stella magna ardens velut facula, & cecidit super tertiam partem fluminum, & super fontes aquarum: & nomen hujus stellæ dicitur absinthium: & facta est tertia pars aquarum absinthium." *Explicit historia Angeli tertii.*

EXPLANATIO EJUSDEM HISTORIÆ.

Joann. 8.
v. 12.

ET tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cælo stella magna ardens velut facula. De Ecclesia dicit cecidisse homines. Magnam stellam dixit, quia majores personæ sunt qui in Ecclesia videntur stare, sed in membris Antichristi sunt. Cælum Ecclesiam dicit: cum ab Ecclesia separantur & contra Ecclesiam surgunt, de cælo cecidisse dicuntur. Stella dicitur, quia licet non mundo corde, inter ignaros fulgere videntur. In Evangelio veritas dicit: *Ego sum lux mundi*, sicut autem idem Redemptor mundi una persona est cum congregatione bonorum (ipse namque caput est corporis, & nos hujus capitis corpus); ita antiquus hostis una persona est cum cuncta collectione reproborum. Quia ipse eis ad iniquitatem quasi caput præeminet. Illi autem regularis est actio, aut capitis vocem habere membrorum, aut quod dicitur pro membris referre ad caput. Sicut de Christo & de suo corpore, sic etiam de diabolo & de membris ejus intellige. Illi autem dum ad persuasa deserviunt, velut subjectum capiti corpus inhærent, de quibus per Paulum dicitur: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hi nimirum aut par-

Ad Tit.
1. v. 16.

parva sunt quæ faciunt , aut recta opera non recto corde sectantur. Non enim de suis operibus retributiones perpetuas, sed transitorios favores, quærunt. Et tamen quia quasi Sanctos laudari se audiunt , esse se veraciter Sanctos arbitrantur. Et quanto se multorum æstimatione inreprehensibiles putant , tanto diem districti iudicii securius expectant. *Et cecidit super tertiam partem fluminum & super fontes aquarum.* Utiq̃ue tertia pars , quam sibi sociat in prædicationis amaritudine , sicut dicit : *Et nomen hujus stellæ dicitur absinthium.* Et tertia pars hominum facta est similis stellæ , quæ super illam cecidit , & facta est tertia pars aquarum absinthium, & multi hominum mortui sunt ab aquis , quoniam amaricaverunt aquæ. Aquæ populi sunt. Aquæ amaræ efficiuntur , cum prædicationis pravam doctrinam hauriunt. Sic Dominus in cruce aceto & felle potatur, quod est prava doctrina hæreticorum , unde bibere noluit. Homines ergo mortui sunt , à mortiferis doctrinis percussi. *Explicit tertia tuba.*

INCIPIT QUARTÆ TUBÆ HISTORIA.

“**E**T quartus Angelus tuba cecinit : & percussa est tertia pars Solis , & tertia pars stellarum , & tertia pars Lunæ , ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei tertia pareret , & noctis. Et vidi , & audiui unam aquilam volantem in medio cæli , dicentem voce magna : Væ, væ, væ, habitantibus terram , de reliquis vocibus tubæ trium Angelorum , qui tuba canituri sunt.” *Explicit aquila volans.*

Cap. VIII
v. 12.

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET quartus Angelus tuba cecinit : & percussa est tertia pars Solis , & tertia pars stellarum , & tertia pars Lunæ , ut obscuraretur tertia pars eorum , & diei tertia pareret , & noctis. Similiter Sol , luna , & stellæ Ecclesia est , cujus tertia pars percussa est. Tertia tantum nomen est in divisione , non in quantitate. Jam supra diximus , in toto mundo tres esse partes. De gentilitate una , quæ est foras Ecclesiam ; & in Ecclesia duas , unam bonam , & alteram sub christianitatis nomine malam ; & ob hoc dicuntur tertiæ. Hæ duæ partes in Ecclesia dies nuncupantur & nox. Et dicta est tertia pars diei , & tertia noctis , cui dicit : *Nocti adsimilavi matrem vestram*. Quia sicut dies scientia est , ita & nox ignorantia. Ignorantia enim mater errorum est. Ad hoc ergo percussa est , ut pareret tertia diei , & tertia noctis , quæ esset tertia Christi , & quæ tertia diaboli. Non enim dixit *percussa est* , & *obscurata est* ; sed *obscuraretur* , & *pareret*. Et quid est ejus percussio , nisi voluntas propria ? Quia non ut percussa est paruit , sed ad hoc percussa est , id est , suis voluntatibus tradita. Omnis enim qui propriis voluntatibus ducitur , quamquam recte agere videatur , sine dubio ignorantiae tenebra nuncupatur. Ecclesia enim propriam voluntatem non facit , quæ præcepta Magistri præcedentis cognoscit , qui ait : *Non veni voluntatem meam facere , sed voluntatem ejus qui misit me Patris*. Sol , luna , & stellæ , tertia pars eorum obscurata est , quia quæ Christum , & Ecclesiam , & sanctos præcedentes Patres non imitatur , percussa terrenis commodis quasi in die obscurata manifestatur. Sol quippe in fulgore est , &

opus bonum in manifestatione. Scriptum namque est: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Et iterum: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes.* Quod enim hoc loco Sole, idem in Evangelio lucernis ardentibus designatur. Bonum quippe opus, cum in medio perfidorum lucet, lucerna sedet in nocte: cum verò in Ecclesia resplendet, fulget in die. Bonum opus, si adhuc tale est, quod soli mali mirantur; revera lucerna in nocte est. Si autem ita proficit, ut mirari à bonis ac perfectioribus possit, nimirum Sol est in die. Bonum opus cum per activam vitam corporis lucet, quasi lucernæ more lumen ex testa resplendet. Cum verò per solam virtutem mentis in contemplatione adtollitur, quasi more Solis de cælo veniens lux videtur. Sunt verò nonnulli, qui cum bona aliqua faciunt, iniquitatum suarum statim obliviscuntur, & cordis oculum in consideratione bonorum operum quæ exhibent figunt: atque eo se jam sanctos æstimant, quod inter bona quæ agunt, malorum suorum, in quibus & fortasse adhuc implicati sunt, memoriam declinant. Qui scilicet si distractionem iudicii vigilanter adtenderent, plus de malis suis metuerent, quam de imperfectis bonis exaltarent. Plus inspicerent quod de his quæ adhuc eis agenda sunt, debitores tenentur; quam quod operantes quædam, debiti partem solvunt. Neque enim absolutus est debitor, qui multa reddit, sed qui omnia. Sunt enim nonnulli qui eo in elatione corruunt, quo per subtilem intelligentiam vel quæ non faciunt bona cognoscunt. Hi nimirum super multis divitiis lætantur, cum quælibet summa intelligenda reperiunt, atque in elatione ipsis inventionibus corrumpuntur. Sunt verò nonnulli, quos intelligentia quidem non elevat,

*Matth. 5.
v. 16.*

*Luc. 12.
v. 35.*

*Ex Greg.
in cap. 31
Job.*

Job 31.
v. 25. &
26.

sed exhibita operatio exaltat. Qui dum actiones suas respiciunt, apud mentem suam sibi ceteros dedignant-
do postponunt. Hi videlicet, etsi in *multis divitiis non gaudent*, *Solem tamen fulgentem vident*. Et sunt nonnulli, quos nec operatio propria extollit: sed cum laudari ab hominibus pro hac eadem bona operatione cœperint, ipsis hominum favoribus devicti, magnos se quosdam in sua cogitatione conspiciunt: atque à cordis custodia dissolvuntur. Hi profecto etsi fulgentem Solem videre noluerunt, Lunam tamen clarere indesinenter respiciunt: quia inter hujus vitæ tenebras, dum in opinionis suæ claritate animum defigunt, humilitatis gratiam quasi ex nocturno lumine amittunt: & intuentes Lunam, se non vident, quia semetipsos nescire incipiunt, dum mentis oculos in transitorium favorem defigunt. Quarto enim signo dicit percussam, ut revelaretur. Quinto verò dicturus modum ipsius revelationis in parte terræ, ut exinde cognoscatur, qualis in toto orbe futura sit revelatio. *Et vidi, & audiivi unam aquilam volantem in medio cæli, dicentem voce magna: Væ, væ, væ habitantibus terram, de reliquis vocibus tubæ trium Angelorum, qui tuba canituri sunt.* Aquilam dicit Ecclesiam: volantem in medio cæli, id est, in medio sui discurrentem, & plagas novissimi temporis magna voce prædicantem. *Explicit quarta tuba.*

INCIPIT QUINTA TUBA HISTORIÆ QUINTÆ.

Cap. IX. **E**T quintus Angelus tuba cecinit: & vidi stellam
» de cælo cecidisse in terram, & data est ei clavis
» putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi: & ascendit
» fumus de puteo quasi fumus magnæ fornacis: & obs-
» curatus est Sol, & aër de fumo putei. Et de fumo pu-
» tei

»tei exierunt locustæ in terram, & data est eis potestas,
 »sicut habent potestatem scorpîi terræ. Et dictum est
 »eis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, ne-
 »que omnem arborem, nisi homines qui non habent
 »signum Dei vivi in fronte sua. Et datum est eis ne oc-
 »ciderent eos, sed ut cruciarent mensibus quinque, &
 »cruciatu eorum sicut cruciatu scorpîi cum percutit
 »hominem. Et quærent homines mortem, & non inve-
 »nient eam: Et concupiscent mori, & mors fugiet ab
 »eis." *Explicit historia.*

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ.

ET quintus Angelus tuba cecinit: & vidi stellam de
 cælo cecidisse in terram. Una stella corpus est
 multorum cadentium per peccata, sicut per Job dicitur:
Obscurentur stellæ caligine ejus. Stellæ quippe hujus
 noctis caligine tenebrantur, quando & hi qui magnis
 jam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ
 aliquid retinentes sustinent. Sic namque sunt nonnulli,
 qui ante humanos oculos velut magnis operibus lucent;
 sed quia nec ipsa opera à mundo corde prodeunt, cap-
 tivi in occultis cogitationibus noctis hujus tenebris obs-
 curantur. Quia sæpe ea quæ mundo corde non faciunt,
 etiam opera amittunt quæ bona intentione faciunt. Et
 per hoc magis cæcantur opere, per quod inluminari
 potuerunt. Quia ergo nox prævalere permittitur, quan-
 do & inter bona opera cordis intentio minime munda-
 tur, dicatur rectè: *Obscurentur stellæ caligine ejus,*
 id est, contra eos qui ante humanos oculos, quasi bo-
 nis operibus splendent, malitia antiqui hostis obscura
 prævaleat. Et hoc, quod ante humana judicia suberant,

*Job 3.
v. 9.*

lumen laudis deponant. Caligine quippe noctis obscurantur, cum eorum vita aperto errore confunditur: ut nimirum tales etiam foras in actione appareant, quales apud semetipsos intus divino parere iudicio non formidant. *Et data est ei clavis putei abyssi.* Stella, abyssus, puteus, hi quos supra diximus sunt. Abyssum dicimus esse secretam altitudinem cordis humani, ut quid intus lateat minime cognoscatur, nisi per januam linguæ manifestetur. Sic David cum ab inimicis ne comprimeretur, oravit: *Ne contineat*, inquit, *super me puteus os suum.* Ergo stella cecidit de cælo in terra, & accepit clavem putei abyssi, id est, potestatem cordis sui, ut aperiat cor suum in quo diabolus deligatus compescitur, & faciet voluntatem suam, & diaboli. *Et aperuit puteum abyssi*, id est, manifestavit cor suum sine ulla verecundia, vel timore peccandi. *Et ascendit fumus de puteo quasi fumus magnæ fornacis*, id est, de populo ascendit, qui jam aperte contra Ecclesiam in superbia surgit, ut prædicationem ejus contemnat, & obscuret, ita ut dicatur non esse, sicut dicit: *Et obscuratus est Sol, & aër de fumo putei.* Peccata enim multa, quæ per orbem committuntur, obscurant prædicationem Ecclesiæ, per quam Sol oritur in corde credentium, & faciunt quibusdam cæcitatem. *Sicut fumus*, inquit, *magnæ fornacis.* Fumus enim ignem præit, & quid ignis, nisi homo peccati, filius perditionis, Antichristus? Et quid fumus, nisi suos esse ministros? quia antequam ignis appareat, fumus tenebrarum ejus oculos superbiorum cæcat. Iste enim fumus ignem præit fornacis, id est, novissimæ probationis. Ex ista generalitate transit ad partem terræ, ubi ad ostendendum futuræ revelationis modum ex ipsorum operibus aliquid jam foras exiit, dicens: *Et ex fumo putei exierunt locustæ*

Psal. 68.
v. 16.

in terram, & data est eis potestas, sicut habent potestatem scorpii terræ. Locustæ pro mobilitate levitatis accipiendæ sunt tamquam vagæ & salientes animæ in sæculi voluptates: scorpio enim palpando incedit, sed cauda ferit; nec mordet à facie, sed à posterioribus. Scorpiones ergo sunt homines blandi, & malitiosi, qui bonis quidem in faciem non resistunt; sed mox ut recesserint, detrahunt, alios & ut valuerint infamant, quæque possunt noxia immittunt: mortifera inferre occultè non cessant. Scorpiones ergo sunt, qui blandi & sine nocibilitate in faciem quasi videntur, sed post dorsum portant unde venenum fundant. Qui enim in occulto feriunt, quasi mortem absconsè trahunt. Unde etiam per Psalmistam dicitur: *Circumdederunt me sicut apes favum, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Ps. 117. v. 12.
 Apes enim in ore mel habent, in aculeo autem vulnus. Et omnes qui lingua blandiuntur, sed absconsè ex malitia feriunt, apes sunt: quia loquendo dulcedinem melis ponunt, sed occulte feriendo vulnus inferunt. Ista verò facientes exardescunt, sicut ignis in spinis. Quia per flammæ detrahentium non justorum vita comburitur; sed si quid in eis peccatorum, vel vitiorum fuerit, ut spinæ, concrematur. *Et dictum est eis, ne lædant fœnum terræ, neque omne viride.* Ostendit, locustas homines esse. *Et dictum est eis, ne occiderent eos.* Unum est quidem omnibus vocabulum non habentibus signum Dei in fronte, sed duplex persona. Duæ partes, ut diximus, sunt in Ecclesia: una pars diaboli, quæ more locustarum saltibus evolat, quæ se inanis gloriæ seu vanis præsumptionibus exaltat: altera pars est Christi, quæ est Ecclesia, in humiliatione tradita ad cognitionem justitiæ Dei, & commemorationem pœnitentiæ, sicut scriptum est: *Bonum mihi est quod humilias-* Ps. 118. v. 71.
 -VII

Matth. 9.
v. 13.

Psal. 81.
v. 6.

ti me, Domine, ut discam justificationes tuas. Sic in omnibus scripturis generale invenitur esse vocabulum, & sententiæ qualitatem specie designare. Sicut Dominus ait: Non veni vocare justos, sed peccatores. Et propter peccatores mysteriose loquitur, ne conversi curentur. Iterum scriptum est: Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes: vos autem ut homines moriemini. Nonne subaudimus veluti omnes? Sed absit, ut omnes quidem dicantur dii. Sed non omnes dixit morituros. Sic & hoc loco, qui non habent signum Dei in frontibus suis, generaliter omnibus dictum est: Et datum est eis, ne occiderent eos. Hoc specialiter dictum est, id est, recordantium pars quæ ad pœnitentiam redit, & non interficitur à malis, neque læditur spiritualiter, sed tantum in carnis dolore, lapsus, & captivitatis, excruciat. Datum est eis ne occiderent eos: Sed ut cruciarent mensibus quinque. Menses annos dixit: & aliquando pro eloquendi modo quinque sensus corporis accipimus, qui omnes in his periculis cruciantur, cum inde caute circumspectiuntur. Et cruciatus eorum, sicut cruciatus scorpionum, cum percutit hominem. Id est, in vitiis venena propinare. Et quærent homines mortem, & non invenient eam. Revera mori concupiscunt, ut vivant Deo, sicut morimur sæculo, ut vivamus Deo. Hanc quærent mortem: sed, differendo in crastinum, non inveniunt eam. Et concupiscent mori, & mors fugiet ab eis. Ostendit iteratum tempus hujus calamitatis: quod est enim, quærent, hoc & concupiscent. Quærent quærendo, & minime inveniendo. Explicit puteus abyssi.

INCIPIT ADHUC DE EISDEM LOCUSTIS.

ET similitudines locustarum, similes equorum pa-
 ratorum ad bellum. Et super capita earum co-
 ronæ similes auro, & facies earum sicut facies homi-
 num. Et habebant capillos sicut capillos mulierum.
 Et dentes earum sicut leonum erant. Et habebant
 pectora sicut loricas ferreas, & vox pennarum illa-
 rum sicut vox curruum equorum multorum curren-
 tium in bellum: & habebant caudas similes scorpiis,
 & aculeos in caudis earum. Potestas earum lædendi
 homines mensibus quinque. Et habent super se Re-
 gem Angelum abyssi. Nomen habet hebraicè *Abad-*
don, græcè *Apollyon*, latinè *perdens*. Væ unum abiit:
 Ecce veniunt duo væ post ea." *Explicit.*

Cap. IX.
v. 7.

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ.

ET similitudines locustarum, similes equorum pa-
 ratorum ad bellum: id est, similes novissimorum
 persecutorum. In novissimo enim bello, quod descriptu-
 rus est in sexta tuba, equos dicit pugnare; ipsis equis
 dixit similes has locustas. Ceterum quid simile in equis
 paratis ad bellum? Quis umquam tales equos in bellum
 paratos esse dixerit? nisi spiritualia sunt hæc quæ in
 Ecclesia geruntur; &, nisi à catholicis, ab imperi-
 ritis non videntur. In his locustis ostendit, quales ad-
 huc futuri sunt equi qui pugnabunt solutis quatuor An-
 gelis in quatuor angulis terræ, sicut in sexto Angelo
 inveniemus. *Super capita*, inquit, *earum coronæ similes*
auro. Quid in has coronas aureas intelligere debemus,

nisi simulationem Christianitatis? Legimus seniores viginti quatuor, qui sunt Ecclesia, coronas habere aureas: istas autem dicit similes auro. Similes dicit, quia non aureas. Imitationem Ecclesiæ ostendunt, sed Ecclesia non sunt. *Et facies earum sicut facies hominum.* In facie cognitio intelligitur. Facies hominum simulant, quia quasi uno ore nobiscum Christum laudant. Nam homines dicuntur ratione capaces: tales enim homines non sunt: Imò, hos si requiras, equi sunt, id est, ad discurrendum ad malum parati. Si vis, locustæ sunt, id est, in elevatione hujus sæculi, & vanæ gloriæ levitate elevati. Si quæris, homines sunt: quia ore profitentur se nosse Deum, factis autem negant. Si pensas, mulieres sunt: quia fluxam & effeminatam fortitudinem ostendunt. Si consideras, leones sunt: quia ad devorandum innocentes, fortes sunt. Si post tergum requiras, scorpiones sunt: quia in facie quasi homines blandiuntur, post tergum verò per suos pseudoprophetas Ecclesiæ vulnus infigunt. Et hoc ex se non faciunt, quia diabolus caput habent, à quo reguntur. Quia sicut Christus caput est bonorum, ita diabolus caput est omnium iniquorum. *Et habebant capillos sicut capillos mulierum.* In capillis mulierum non solum fluxos & effeminatos, sed etiam utrumque sexum voluit ostendere. *Et dentes earum sicut leonum erant:* id est, ad devorandum fortes. *Et habebant pectora sicut loricas ferræas:* id est, pectora velut fortia & munita. *Et ad serpentem, qui diabolus dicitur, dictum est: Super pectus & ventrem tuum gradieris.* In pectore superbia, in ventre luxuria, vel voracitatis ingluviæ. *Et vox pennarum illarum sicut vox curruum multorum currentium in bellum:* id est, strepitus discursionum illarum, ut currentium in bellum, quod est discurrentium ad

Gen. 3.
v. 14.

ad malum. *Et habebant caudas similes scorpiis, & aculeos in caudis earum. Potestas earum ledendi homines mensibus quinque.* Caudas præpositos malos dicit, id est, Episcopos. Sic enim Deus per Isaiam definire dignatus est, dicens: *Senior, & quem admirantur personæ, hic est caput: & Propheta docens iniqua, hic est cauda.* Sed illic intestinos dixit quos describit, id est, intra Ecclesiam; sed jam in ipsa parte est, quæ foris est. Potestas enim locustarum in pseudoprophetis est externis apud nos, id est, foras à nobis; & intra Ecclesiam per malos, qui regali amicitia sanctitatem simulant intra Ecclesiam, & à malis Christianis freti sine verecundia securitatem eis procurant. *Et habebant super se Regem Angelum abyssi*, id est, diabolum, vel Regem hujus sæculi. Abyssus enim populus est, in quo diabolus in occulto cordis eorum ligatus tenetur. Et Rex hujus sæculi perspicue principatur. Nomen habet hebraicè *Abaddon*, græcè *Apollyon*, latinè *perdens*. *Væ unum abiit: Ecce veniunt adhuc duo. Væ postea.* Expliciunt locustæ.

Isai. 9.
v. 15.

INCIPIT SEXTA TUBA HISTORIÆ.

ET sextus Angelus tuba cecinit: & audiui unum
 „ Ex quatuor cornibus aræ aureæ, quæ est in cons-
 „ pectu Dei, dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam:
 „ Solve quatuor Angelos ligatos in flumine magno Eu-
 „ frate. Et soluti sunt quatuor Angeli parati in horam,
 „ & diem, & mensem, & annum, ut occiderent tertiam
 „ partem hominum. Et numerus exercituum, bis myria-
 „ des myriadum. Audiui numerum eorum.”

Cap. IX.
v. 13.

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ.

ET sextus Angelus tuba cecinit. Dehinc incipit novissima prædicatio tempore Antichristi. Et audiivi unum ex quatuor cornibus aræ aureæ, quæ est in conspectu Dei, dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam: Solve quatuor Angelos ligatos in flumine magno Eufrate. Eufrates enim fluvius est Babylonis. Babylon autem confusio interpretatur. Ergo Babylon iste mundus dicitur: & fluvius Babylonis populus istius mundi est, in quo diabolus ligatus tenetur. Quod autem dixit: Solve quatuor Angelos ligatos trans flumen magnum Eufratem; acsi diceret: Prædica in quatuor angulos terræ. Supra enim dixerat quatuor ventos: nunc dicit quatuor Angelos. Hic quoque ostendit, ventos & Angelos unum esse. Dixerat enim ventos teneri ab Angelis: nunc verò dicit, Angelos solvi ab Angelo. Hoc totum una Ecclesia est. Sed Angelus, unius cornu Ecclesiæ, quæ est ara Dei aurea in conspectu Dei in quatuor ventis terræ, quos imperio Dei jam solvi oportere: ex Africa [enim] manifestabitur omnem Ecclesiam. Iste Angelus quid passus sit, & quid hominem pati oporteat, edocuerit. Cum quo sit genus novissimæ persecutionis. Nec aliud ab orbe sperandum, quam quod ipse Christus in exemplum passus est, Deo prosperante manifestaverit, & docebitur Ecclesia imminentis aut jam præsentis Antichristi Regis, superbia jussa contemnere, & ab obtemperantibus discedere. Qui habes, inquit, tubam, id est, qui nunc prædicas, solve quatuor Angelos ligatos in flumine magno Eufrate, quos dixerat in quatuor angulis terræ, ut ostenderet Eufratem in omni

ter-

Locus
corrup-
tus.

terra esse. Flumen magnum Eufratem, populum dixit persecutorem, in quo Satanas & propria voluntas ligata est, ne faciat modo Ecclesiæ quod magnopere desiderat. Quia Antichristi tempore jam solutus diabolus per omnem mundum, malum facere permittetur. Sicut per Jeremiam Deus de isto Eufrate dicit: *Dies ille Domino Deo nostro dies ultionis, ut ulciscatur inimicos suos; & devorabit gladius, & implebitur sanguine eorum: quoniam sacrificium Domino Sabaotb in terra aquilonis in flumine Eufrate.* Sacrificium dicit, sed occisionis & jugulationis, sicut de iisdem fratribus dicit per Isaiam: *Gladius Domini impletus est sanguine, incrassavit ab adipe hyrcorum, & arietum: quia sacrificium Domini in Bosor, & jugulatio magna in Idumæa.* Bosor & Idumæa, Esau civitates sunt. De aquilone autem jam diximus. *Et soluti quatuor Angeli sunt.* Hic jam inchoata persecutio est. *Parati in horam, & diem, & mensem, & annum, ut occiderent tertiam partem hominum.* Hæc sunt quatuor tempora, id est, triennium, & menses sex. *Parati autem dixit, quia ex eo percussa est tertia pars Solis, & Lunæ, & stellarum, ad manifestandum quæ esset tertia diei & tertia noctis, id est, diem Ecclesiam, & noctem Synagogam, quæ cum malis in tenebris ambulat.* Sed tres partes dicuntur, una Christi, & duæ Antichristi, quæ inter se ad bellum præparantur: propterea dixerat de locustis similes esse equis paratis ad bellum. Nam cum dicat Angelos solutos, equos se dicit vidisse, id est, homines & sessores eorum dæmones. *Et numerus, inquit, exercituum, bis myriades myriadum. Audi vi numerum eorum.* Myriades myriadum numerus græcus est, qui latinè dicitur millia millium. Sed non dixit quot myriadum. *Ut occiderent tertiam partem hominum.* Hæc est tertia de qua separatur Ecclesia, ut

Jerem.
46.v.10.

Isai. 34.
v. 6.

manifestentur tres partes in omni terra : una foras Ecclesiam, id est, gentilitas, & duas intra Ecclesiam, sanctos homines, & Christianos malos. Et ex duabus mixtis, quæ sit diei, & quæ noctis: occidunt autem qui sibi consentiunt. *Explicit explanatio quatuor Angelorum.*

INCIPIT HISTORIA EQUORUM.

Vers. 17.

ET vidi equos in visione: & sedentes super eos habebant loricas igneas & hyacinthinas, & sulphureas, & capita equorum erant sicut leonum, & ex ore eorum exit ignis, & fumus, & sulphur. Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, ex igne, & fumo, & sulphure, quod exibat ex ore eorum. Potestas enim equorum in ore, & in caudis eorum. Caudæ enim eorum similes serpentibus, habentes capita, & in his nocent. Et reliqui hominum, qui non sunt occisi in his plagis, non egerunt pœnitentiam è prioribus operibus manuum suarum, ne adorent dæmonia, & idola argentea, & aurea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, & non pœnituerunt ab homicidiis suis, neque ex veneficiis suis, neque ex fornicatione sua, neque ex furtibus suis." *Explicit historia.*

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ.

ET vidi equos in visione: & sedentes super eos. Equi, homines sunt: & sessores, spiritus dæmoniorum. Habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas; id est, armati igne, fumo, & sulphure, præparati ad incendium futuræ gehennæ. Et capita equo-

equorum erant sicut leonum. Supra dixerat, locustas similes equorum paratorum ad bellum, & facies hominum, & caudas scorpionum: nunc verò dicit, equos se vidisse, & sedentes super eos, & capita ut leonum, & caudas serpentium, paratos ad incendium: hoc totum unum est. Et unam rem dissimiliter describit. Non enim in equos armatos umquam tale vidimus; ut cognoscas, homines esse innumera mala facientes. *Et ex ore eorum exit ignis, & fumus, & sulphur;* ostendit, quia pro fumo hyacinthum dixerat. Nec perspicue ista exeunt ex ore eorum, sed verba ipsorum sunt hominum. Pro hoc dixit ignis, fumus, & sulphur. Sicut illis alio loco promittitur: Qui adorant bestiam punientur, & ignis, fumus, & sulphur de tormentis eorum in sæcula sæculorum ascendet. *Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, ex igne, fumo, & sulphure quod exibat ex ore eorum.* Verbis ergo capitum, id est, Principum eorum, has plagas in æternum incurrerunt. *Postestas enim equorum in ore, & in caudis eorum;* id est, in sermone, & opere, & officio. Caudas enim Præpositos, id est, Episcopos diximus, qui sunt pseudoprophetae. *Caudæ enim eorum similes serpentibus habentes capita.* In capitibus Principes mundi esse dicimus: & *in his nocent.* Sine his enim Præpositi mali intra Ecclesiam nocere non possunt. Dicit tertiam Gentilium. Nemo putet ut Gentiles, illo tempore sanctos à suis legitimis transferri, & omne hominum genus, non diversis superstitionibus, sed hoc intra Ecclesiam dicitur, sub christianitatis nomine contra Ecclesiam diabolo deservire. *Et reliqui hominum, qui non sunt occisi in his plagis.* Sed quid profuit non esse occisos in his plagis, cum dicat: *Non egerunt pœnitentiam ex operibus manuum suarum, ne adorent dæmonia, & idola aurea, &*

Apoc. 14
v. 9. &
10.

argentea, & ærea, & ferrea, & lignea, atque lapidea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, & non pœnituerunt ab homicidiis suis, neque ex veneficiis suis, neque ex fornicatione sua, neque ex furtis suis. Hoc totum intra Ecclesiam est, & sub nomine christianitatis spiritualis idololatria est. Sic enim

Dan. 5. in Daniele legimus in vasis aureis Domini bibisse, & hos
v. 4. deos supradictos laudasse. Quanta stultitia in aureis vasis bibentes, deos ligneos & lapideos laudabant! Quando vasa fuerunt in idola Babylonis, & non bibebant in eis, non est iratus Dominus: videbantur enim rem Dei secundum pravam quidem opinionem, tamen divino cultui consecrassè: postquam autem humanis usibus Domini vasa contaminantur, statim pœnam post sacrilegium incurrunt. Laudant autem deos suos, insultantes Deo Judæorum, quod, illis victoriam tribuentibus, bibebant in vasis ejus. Quid est hoc nisi intra Ecclesiam? Babylonia est mundus iste: vasa Domini sunt Sacramenta Ecclesiæ, id est, Baptismus, Sacratio, Lex, & Evangelium, Symbolum, & Oratio Dominica, Amen, & Alleluja. Juxta tropologiam hoc dicendum est, quod omnes hæretici, & doctrina contraria veritati, quæ assumit verba Prophetarum, testimoniis Divinæ Scripturæ abutitur ad sensum suum, & dat bibere his quos decipit, ut cum quibus fornicatus est, tollat vasa templi Dei, & inebrietur in eis, & non Deum, cujus vasa sunt, sed deos laudet aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneos, & lapideos. Aurei mihi videntur dii, qui sæculari ratione compositi sunt. Argentei sunt, qui habent eloquii venustatem, & rhetorica arte constructi sunt: qui autem inferunt fabulas poetarum, & vetustis utuntur traditionibus, habentes inter se multam vel elegantiam, vel stultitiæ differentiam; isti vocantur ærei,

& ferrei. Qui autem penitus inepta proponunt, lignei appellantur, vel lapidei. Quos omnes in duas partes Deuteronomium dividit, scribens: *Maledictus omnis qui facit sculptile, & conflatile opus manu artificis, & ponit illud in abscondito.* Abscondunt enim omnes hæretici, & operiunt mendaciorum suorum dogmata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Neque enim in illa persecutione cogentur gentiles supradictis consentire, sed in sua incredulitate moriuntur.

*Deuter.
27.v.15.*

Descripto novissimo certamine, & gentium morte, continuo prætermisit solito more septimum Angelum, in quo est novissimum certamen, & Domini manifestus adventus, & recapitulat à tempore tantummodo futuræ pacis usque ad finem. Et statim dicit finem ordinis, quem prætermiserat: & veluti duos fines videbitur fecisse. Meminerimus itaque, cum recapitulationem ad finem usque perduxerit, deberi finem ordini conciso. In hac enim recapitulatione præter solitum fecit ambas narrationes non uno fine claudendo. Describit enim prædicationem futuræ pacis, qualiter sit aperta vel fortis, quam terra, marique perspicua, id est, clara. *Explicit.*

INCIPIT HISTORIA ANGELI FORTIS.

“**E**T vidi alium Angelum fortem, descendentem de cælo, nube amictum, & iris super caput ejus, & facies ejus sicut Sol, & pedes ejus sicut columnæ ignis: & habebat in manu sua librum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram: & clamavit voce magna, sicut leo fremuit. Et cum clamasset locuta sunt septem tonitrua voces suas. Et quæ locuta sunt septem tonitrua,

Cap. X.

»trua , eram scripturus. Et audiui vocem de cælo di-
 »centem : Signa quæ locuta sunt septem tonitrua , &
 »ne ea scripseris. Et Angelus , quem vidi stantem su-
 »per mare & super terram , sustulit manum suam dex-
 »tram in cælum , & juravit per viventem in sæcula
 »sæculorum , Amen , qui creavit cælum , & quæ in
 »eo , & terram , & quæ in ea , & mare , & quæ in
 »eo sunt , quoniam tempus jam non erit , sed in die-
 »bus vocis septimi Angeli cum cœperit tuba canere.
 »Et consummatum est mysterium Dei , ut evangeliza-
 »vit per suos Prophetas. Et vocem audiui de cælo
 »iterum loquentem mecum , & dicentem : Vade , ac-
 »cipe librum apertum , qui est in manu Angeli stan-
 »tis supra mare , & supra terram. Et abii ad Ange-
 »lum dicens , ut daret mihi librum. Et dixit mihi ,
 »Accipe , & comede illum : & amaritudinem ventri
 »tuo faciet , & in ore tuo erit dulce sicut mel. Et
 »accepi librum de manu Angeli , & comedi illum. Et
 »fuit in ore meo sicut mel dulce. Et cum comedissem
 »eum , repletus est venter meus amaritudine. Et dixit
 »mihi : Oportet te iterum prædicare in populis , &
 »linguis , & gentibus , & Regibus multis. Et data
 »est mihi arundo similis virgæ , & stabat Angelus di-
 »cens mihi : Surge , & metire templum Dei , & alta-
 »re , & adorantes in eo. Et atrium quod est foris tem-
 »plum , exclude foras , & ne eum mensus fueris , quo-
 »niam datum est , inquit , gentibus calcare Civita-
 »tem Sanctam , & calcabunt mensibus quadraginta
 »duobus." *Finit.*

Cap. XI.

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ.

ET vidi, inquit, alium Angelum fortem, descendentem de cælo, nube amictum. Dominus est, amictus Ecclesia, semper à Deo de Ecclesia nascens. Diversis autem modis describitur indutus Ecclesiam: nunc podere, sicut in initio hujus libri legimus; nunc abolla candida, sicut per Daniele: (1) nunc nube; legimus enim Sanctos nubes, sicut per Isaiam: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Indutus itaque nube spirituali, & sancto corpore. *Et iris erat super caput ejus.* Iris promissio perseverantiæ est: Ecclesiam enim describit in Domino. *Et facies ejus sicut Sol, & pedes ejus sicut columnæ ignis.* Magna hic ratio & admirabilis quæstio. In initio libri dixit prius pedes ignitos, & postea faciem lucere, ut ostenderet in hoc mundo ignitos in passione, & fulgere in resurrectione: nunc autem primum dicit faciem lucere, & pedes ut columnæ ignis, ut ostenderet quanta claritas sit Ecclesiæ per passionem. *Et habebat in manu sua librum apertum.* Merito facies ejus sicut Sol, quoniam aperto jam libro quid futurum est agnoscet. Per librum enim Scripturæ Sacræ paginæ designantur. Liber autem involutus est Scripturæ Sacræ eloquium obscurum, qui profunditate sententiarum est involutus, ut non facile sensu omnium penetretur. Qui antea involutus erat, expanditur: quia coram prædicatoribus

Cap. 1.
v. 13.
Isai. 60.
v. 8.

Bb

sa-

(1) Abolla vestimenti genus, quod diversimodè apud diversos accipitur: hic autem vestem simpliciter indicat: nam verba Danielis (cui Auctor inheret) sunt: Vestimentum ejus candidum quasi nix. (cap. 7. v. 9.) Ergo Abolla candida, idem ac vestimentum album.

Ps. 103.
v. 2.

sacri eloquii obscuritas aperitur : unde scriptum est : *Extendens cælum sicut pellem , qui tegit in aquis superiora ejus.* Quid enim cæli nomine , nisi Sacra Scriptura signatur ? De qua nobis & Sol sapientiæ , & Luna scientiæ , & ex antiquis patribus stellæ exemplorum , atque virtutum , lucent. Quod sicut pellis extenditur , quia per scriptores suos carnis lingua formatur , cum ante oculos nostros per verba doctorum exponendo explicatur. Quid verò aquarum nomine , ni-

Ps. 148.
v. 4.

si Sancti Angeli ? De quibus scriptum est : *Aquæ , quæ super cælos sunt , laudent nomen Domini.* Hujus ergo cæli superiora Dominus in aquis tegit , quia ita sacri eloquii , id est , ea quæ de natura divinitatis vel æternis gaudiis narrat , nobis adhuc nescientibus , solis Angelis in secreto sunt cognita. Cælum ergo hoc , & coram nobis extenditur , & tamen in aquis superiora illius conteguntur : quia & quædam sacri eloquii jam nobis per apertionem spiritus patent , & quædam , quæ solis Angelis possunt esse manifesta , nobis adhuc servantur occulta. *Et posuit pedem suum dextrum super mare , sinistrum autem super terram ;* id est , ad prædicandum. Dextrum ergo in mari posuit , id est , fortia membra in majoribus periculis , sinistrum verò in competentibus. *Et clamavit voce magna sicut leo fremuit ;* id est , fortiter prædicavit. *Et cum clamasset , locuta sunt septem tonitrua voces suas.* Septem tonitrua septem Ecclesiæ sunt , quod est una. Quid enim amplius loqueretur Ecclesia , quam voces suas ? Angelo locuto , audita sunt septem tonitrua , quæ sunt septem tubæ. *Et quæ locuta sunt septem tonitrua , eram scripturus.* *Et audiui vocem de cælo dicentem : Signa quæ locuta sunt septem tonitrua : & ne ea scripseris.* Ea enim verba quæ audivit , dictum est illi , ne sicut audi-

divit scriberet. Sed aliter per allegoriam, id est, per similitudinem: ne sine sigillo scripta ab omnibus intelligerentur. Itaque dixit *signa*, & *ne ea scripseris*. Quomodo dixit *signa*, si non erat quod signaret? Sufficiebat enim dicere, *noli scribere*. Sed jussit ne, sicut volebat, sine sigillo scriberet, propter brutos & insensatos. Alio denique loco propter justos, *ne signaveris*, dixit, *verba prophetiæ hujus. Quia tempus in proximo est*. Hic ostendit de duobus, id est, bonis & malis, quibus signari jusserat, & quibus non. *Qui perseveraverit*, inquit, *nocere, noceat: & qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Hoc est, propterea in allegoria, id est, in similitudine, loquor illis, ut justus perseveret in patientia usque in finem, ut habeat unde coronetur; & iniquus perseveret in malitia usque in finem, ut habeat unde damnetur. *Et qui justus est justificetur adhuc, similiter & sanctus sanctior fiat adhuc*. Hoc est, vestri autem felices oculi, quoniam vident, & aures, quoniam audiunt. Hic aures & oculos cordis dicit non corporis. Et Daniel hanc fecit futuræ pacis inter fratres sensus divisionem. *Claude*, inquit, *sermonem, & signa libri consummationis ad tempus*. Sed quibus obsignatus sit, ita dicit: Derelinquant iniqui, ne recogitent omnes iniqui & peccatores; & intellectores intelligant, & intelligentes fulgebunt quasi splendor firmamenti, & de justis plurimi quasi stellæ in perpetuum & ultra. Solent nonnulli quærere, utrum doctus sanctus, & simplex sanctus eandem mercedem habeant, & unam in cælestibus mansionem? Unde nunc juxta Teudotionem dicitur, quod docti similitudinem cæli obtinebunt, & justi absque doctrina stellæ gloriæ comparentur: tantumque sit inter eruditam sanctitatem, & sanctam rusticitatem, quantum cælum distat stellæ. Quod autem dixit, *clau-*

*Apoc. 22
v. 11.*

*Dan. 12.
v. 4.*

sermonem, & signa librum; præcepit, ut involvat sermones, & signet librum, & legant plurimi, & quærant historiæ veritatem, & propter obscuritatis magnitudinem diversa suspicentur. Librum autem istum potest solvere, qui Scripturarum sacramenta cognovit, & intelligit & verba tenebrosa propter mysteriorum magnitudinem, & interpretatur parabolas, ut occidentem litteram transferat ad spiritum vivificantem. *Et Angelus, quem vidi stantem super mare & super terram, sustulit manum suam dextram in cælum, & juravit per viventem in sæcula sæculorum, Amen, qui creavit cælum, & quæ in eo, & terram, & quæ in ea, & mare, & quæ in eo, quoniam tempus jam non erit, sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cæperit tuba canere.* Septima tuba finis est persecutionis, & adventus Domini. Propterea dixit Apostolus: *In novissima tuba* fieri resurrectionem. Tempore ergo futuræ pacis adfirmabit Ecclesiam, & jam non esse tempus Ecclesiæ, nisi purificationis, quam purgabit novissima persecutio Antichristi usque ad septimam tubam. *Et consummatum est mysterium Dei, sicut evangelizavit per suos Prophetas. Et vocem audiui de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, accipe librum apertum, qui est in manu Angeli stantis supra mare & supra terram.* Vox è cælo imperium Dei est, qui Ecclesiæ cor tangit, & jubet percipere quæ Ecclesia futura pace aperto libro prædicabit. *Et abiit ad Angelum dicens, ut daret mihi librum.* Admonet Ecclesia quem desiderat perdoceri. *Et dixit mihi: Accipe, & comede illum;* id est, inserte tuis visceribus, & describe in latitudine cordis tui. Hunc librum accipimus, cum jam recta opera facere desideramus. Aperimus os nostrum, & librum comedimus, cum recta loquimur: mandimus & trajicimus quæ

1. Cor. 15
v. 52.

quæ à Deo accepimus, quia & tribuitur & augetur in nostris sensibus cibus vitæ spiritualis, cum prædicare cœperimus. Inde Propheta alius dicit: *Os meum aperui, & adtraxi spiritum.* Non enim spiritum adtraheret, nisi os aperiret. Quia nisi ad prædicandum proximis se impenderet, spiritualis doctrinæ in eo gratia non crevisset. *Et amaritudinem ventri tuo faciet, sed in ore tuo erit dulce, sicut mel.* Quia ipsi de omnipotente Domino sciunt suaviter loqui, qui hunc Deum didicerunt in cordis sui visceribus veraciter amare. In ejus quippe ore Scriptura Sacra dulcis est, cùm vitæ viscera comedentis illius replentur: quia ei suavis est ad loquendum, cui interius impressa ad vivendum fuerit. Nam sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam mordet. Unde necesse est, ut qui verbum Dei loquitur, prius studeat qualiter vivat, & ex vita colligat quæ & qualiter dicat. Ad prædicandum namque plus conscientia sancti amoris ædificat, quam ostensio sermonis. Quia amando cælestia intra semetipsum prædicator legit, quomodo persuadeat, ut despici debeant terrena. Qui enim vitam suam interius pensat, & exemplo suo foris admonendo alios ædificat; quasi in corde linguæ calamum intingit, in eo quod manu verbi proximis exterius scribit. Hic liber amaritudinem ventri tuo faciet, cum prædicare & operari cœperis quod intellexeris. *Et accepi librum de manu Angeli, & comedi eum: & fuit in ore meo sicut mel dulce. Et cum comedissem eum, repletus est venter meus amaritudine. Et dixit mihi: Oportet te iterum prædicare.* Apertè ostendit Angelum corpus esse, dum denuo dixit, inquit, *mihi: Oportet te iterum prædicare.* Numquid Ecclesia aliquando cessavit à prædicatione, ut *iterum oportet te prædicare* audiret? Sed quia tempus des-

Ps. 118.
v. 131.

cribit, quod post Africanas persecutiones futurum est, ut ostenderet ejusmodi esse futuram novissimam prædicationem, & reparationem certaminis; proinde dixit *iterum*. Et quia postea non in Africa tantum eodem genere, sed in omni mundo prædicabit Ecclesia; propterea adjecit: *In populis, & linguis, & gentibus, & Regibus multis*. Una est Ecclesia in toto orbe: quæ prædicat in Africa, ipsa ubique similiter prædicabit. Propterea, velut Africanæ, dixit: Oportet te iterum prædicare. *Et data est mihi arundo similis virgæ, & stabat Angelus dicens mihi: Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo*. Surge quod dicit, excitatio est Ecclesiæ, ut in contemplatione persistat. Non enim hæc Joannes sedebundus audiebat. Mensura autem Filii Dei mandatum Domini nostri Patrem confiteri omnipotentem dicimus, & hujus Christum ante originem sæculi spiritualem apud Patrem genitum, hominem factum, & morte devicta in cælis in corpore à Patre receptum effudisse Spiritum Sanctum, donum & pignus immortalitatis: hunc per Prophetas prædicatum, hunc per legem conscriptum; hunc esse manum Dei, & verbum Patris, & conditorem orbis. Hæc est arundo, mensura fidei; & nemo adorat aram sanctam, nisi qui hanc fidem confitetur: quia non omnes qui videntur in eo, adorant, sicut dicit: *Et atrium quod est foris templum, exclude foras, & ne eum mensus fueris*. Atrium enim quod est ad januam templi, & ad templum videtur pertinere, templum tamen non est, quoniam ad Sancta Sanctorum non pertinet; ipsi sunt qui in Ecclesia esse videntur, & foris sunt. Aula, atrium dicitur, quod vacuum inter parietes erat. Hos tales, non necesarios, ejici jussit de Ecclesia. *Quoniam datum est, inquit, gentibus calcare civitatem sanctam,*

& calcabunt mensibus quadraginta duobus. Qui excludentur, & quibus dabuntur, utrique calcabunt Ecclesiam; id est, hujus mundi malos homines. *Explicit.*

INCIPIT HISTORIA ELIÆ, sive legis & Evangelii.

“**E**T dabo duobus testibus meis, & prophetabunt Cap. XI.
v. 3.
dies mille ducentos sexaginta, (1) amicti cili-
ciis. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra, qui in
conspectu Domini testes sunt: & si quis eos vult læ-
dere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit ini-
micos eorum. Et si quis voluerit lædere, sic eum opor-
tet occidi. Hi habent potestatem claudere cælum, ne
imbrem pluat in diebus prophetiæ eorum: & ha-
bent potestatem in aquas vertere eas in sanguinem,
& percutere terram in omni plaga quotienscumque
voluerint. Et cum finierint testimonium suum, bestia
quæ ascendit de abyssu, faciet cum eis bellum, &
vincet eos, & occidet eos: & corpora eorum in
platea civitatis magnæ projicientur.”

INCIPIT EXPLANATIO suprascriptæ historiæ.

ET dabo duobus testibus meis, & prophetabunt dies mille ducentos sexaginta. Hi dies mille ducenti sexaginta, anni sunt tres, & menses sex. Hoc erit prædicatio Eliæ, & Regnum Antichristi alterum tantum, quod fiunt sub uno septem anni. Ceterum verò spiri-
tua-

Bb 4

tua-

(1) In Codicibus nonaginta: Versiones tamen Antiqua, atque Vulgata habent sexaginta.

tualiter in Ecclesia duo testes duo sunt Testamenta, id est, Lex & Evangelium. A Domini enim passione usque ad Antichristum annos tres ponimus & menses sex: isti sunt quadraginta duo menses, id est, tres anni & dimidijs, vel trecenti quinquaginta: unus enim mensis centum menses sunt per denarium numerum. Quadragies bis centum quatuor millia ducenti menses sunt. Qui sunt centum viginti sex millia dies, anni trecenti quinquaginta, & in uno die centum dies: nam centies mille ducenti nonaginta, centum viginti sex millia dies sunt, qui sunt similiter trecenti quinquaginta anni. Hoc omne tempus est à passione Domini usque ad Antichristum. Et nunc spiritualiter in typo Eliæ, & qui cum eo venerit, duo testes, id est, Lex & Evangelium, ab eis occiditur, à quibus non observatur: hoc sunt duo testes, id est, Ecclesia duobus Testamentis prophetans. Qui sunt enim testes Domini, nisi Christiani? Qui græcè dicuntur *Martyres*, hoc latinè *testes*: quia in passione testimonium Christo reddunt. Non dixit faciam mihi testes, quasi modo non sint; sed dabo duobus testibus meis. Hic præsentibus dixit Legi & Evangelio. Novissima etiam persecutio Antichristi totidem dies habet. Et qui nunc spiritualiter Ecclesiam lædit, jam tunc aperte devastabit. Et Eliam, & qui cum eo venturus est, perspicuè occidet, quod nunc duos testes spiritualiter occidit. *Amicti*, inquit, *ciliciis*. Quod est in exomologesi, id est, in confessione pœnitentiæ constituti: quia quibus prædicant, qui eos audire volunt, confestim ad pœnitentiam convertuntur. *Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra, qui in conspectu Domini stant*. Hi sunt, inquit, qui stant, quod nunc est, in prædicatione. Duo candelabra Ecclesia est. Sed quia per Legem & Evangelium stat,

pro-

proinde dixit *duo*. Sicut quatuor Angelos, & quatuor ventos unam dixit Ecclesiam, quod sunt septem Ecclesiae, quod est una: ita & septem candelabra in uno, vel amplius pro locis, intelliguntur candelabro: hoc totum una Ecclesia est. Nam Zacharias Propheta *Zachar. 4. v. 2.* unum candelabrum vidit septiformem, & duas olivas, id est, duo Testamenta, infundere oleum candelabro. Hæc est Ecclesia cum oleo suo indeficiente, quod eam facit in lumine orbis ardere. Sic ergo dicit Zacharias: *Excitavit me, quemadmodum excitatur homo ex somno suo, & ait mihi: Quid tu vides? Et dixi: Vidi, & ecce candelabrum aureum totum (1) lampadum super eum. Et septem lucernæ super eum, & septem infusoria lucernis quæ sunt super eum. Et duæ olivæ super eum, una à dextris lampadis, & una à sinistris.* Et interroganti quidnam esset, respondit Angelus, dicens: *Septem hi oculi Domini sunt, Vers. 10. qui inspiciunt super omnem terram.* Oculos septiformis gratiæ spiritus legimus, qui sunt in Ecclesia insipientes totam corporis hominis terram. Et de olivis quod sunt duo Testamenta interroganti, sic ait: *Hi duo filii pinguedinis adsunt Domino totius terræ. Et si quis eos vult lædere, ignis exiet ex ore eorum, & devorabit inimicos eorum. Et si quis voluerit lædere, sic eum oportet occidi.* Ignis verbum prædicationis est: si quis Ecclesiam enim lædit aut lædet, precibus oris ejus divino igne consumetur. *Hi habent potestatem claudere cælum, ne imbrem pluant in diebus prophetiæ eorum.* Cælum Ecclesia est: pluvia verò verba prædicationis. Habent potestatem claudere cælum, id est, ligandi: ut qui Ecclesiam persequitur, fa-

(1) *Versio Antiqua aureum totum, & lampas super eum.*

faciant ut benedictio Ecclesiæ super eum non descendat. *Et habent potestatem in aquas vertere eas in sanguinem, & percutere terram in omni plaga quotienscumque voluerint.* Aquæ populi sunt. Aquas vertunt in sanguinem, id est, dogmata Philosophorum carnaliter intelligentes, ubi eos Ecclesia conspexerit, correctionibus arguit. Hæc omnia quæ Dei Ecclesia causa facit Ecclesiæ virtutibus adscribit, data omni potestate in cælo & in terra filio hominis quem indutus est Dominus, cujus caput est Deus. Et hanc potestatem quam habet, dedit suæ Ecclesiæ, ut spiritualiter claudat cælum, ne imbrem pluatur, id est, ne in homine maligno intret sapientia. Sicut de parte vineæ suæ dicit: *Nubibus mandabo, ne pluant super eam: & non solum aquas suspendunt, sed etiam quæ descenderant, inutiles faciunt.* Facit ergo Christus, & Episcopus, & Ecclesia, quod vult, cum operetur omnia in omnibus unus atque idem Deus. *Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abyssu, faciet cum eis bellum, & vincet eos, & occidet eos.* Hoc est testimonium quod perhibet Ecclesia usque ad revelationem bestię, ut aperte totidem diebus quibus retro, occidant testes bestiam: ut sicut spiritualiter occidit duo Testamenta, ita carnaliter, cum solutus fuerit diabolus, ut in Antichristo regnet, occidet duos testes, id est, Eliam, & qui cum eo venturus est. Multi putant cum Elia esse Eliseum, aut Moysen: sed utrique mortui sunt. Jeremiæ non invenitur mors: per quæ omnia veteres nostri tradiderunt illum esse Jeremiam. (1) Nam & ipsum verbum quod factum est, ad eum testificatur, dicens ei: *Præquam*

Isai. 5.
v. 6.

Jerem. I.
v. 5.

te

(1) Ita S. Victorinus, & alii veteres. Communis verò Ss. PP. sententia contrarium tenet.

te formare in utero, novi te; & antequam exires de vulva, sanctificavi te: & Prophetam in gentibus dedi te. Jeremias in gentibus Propheta non fuit, sed solum in Israel. Ideo verbum Dei verax necesse habet quod promisit exhibere, ut in gentibus sit Propheta. Hi sunt duo candelabra, & duæ olivæ in conspectu Domini stantes, id est, sunt in paradiso. Ideo admonui, ut si in alio legens non intellexisti, hic intelligas. Hos verò oportet interfici ab Antichristo. Sed quia hæc typice diximus, nunc verba eadem caritati vestræ, ut coepimus, spiritualiter disseramus. *Explicit explanatio.*

INCIPIT HISTORIA TESTAMENTI.

ET vincet eos, & occidet eos; & corpora eorum *Vers. 7.*
 in platea civitatis magnæ projicientur, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est. Et vident ex populis, & tribubus, & linguis, & gentibus corpora eorum diebus tribus & dimidium: & corpora eorum non permittentur poni in monumentis: & habitantes terram gaudebunt super eos, & epulabuntur, & munera invicem mittent, quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt habitantes terram." *Explicit.*

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET vincet eos, & occidet eos. Vincet Antichristus eos quos seduxerit ut ei credant. Occidet autem Sanctos, qui confessi Deum fuerint. Spiritualiter verò nunc in Ecclesia vincit, qui Evangelio & Legi non credunt. Occidit autem eos, qui Christo credunt, & in poenitentia vivunt, sicut Dominus in Evangelio ait:

Tra-

- Matth. 14. v. 17.* Tradent vos in pressuram, & occident vos. Omnis enim qui Ecclesiæ non consentit, duo Testamenta occidit. Et corpora eorum in platea civitatis magnæ projicientur. Duorum dixit unum corpus, aliquando autem corpora, ut Legis & Evangelii numerum servaret, & Ecclesiæ unum corpus ostenderet. Corpus non solum de occisis, sed & de vivis dixit. Quod autem dixit projicientur, id est, spernentur, sicut scriptum est:
- Psal. 49. v. 17.* Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos post te. In plateis civitatis magnæ projicientur, id est, in medio Ecclesiæ quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & eorum Dominus crucifixus est; utique in Ecclesia, quia Jerusalem restaurari non potest,
- Luc. 21. v. 24.* Domino dicente: Erit Jerusalem conculcata usquedum compleantur tempora gentium.
- Et vident ex populis, & tribubus, & linguis, & gentibus corpora eorum diebus tribus & dimidium. Id est, tribus annis, & sex mensibus, quod sunt anni trecenti quinquaginta, quos supra diximus à passione Domini usque ad Antichristum. Hæc, ut diximus, spiritualis est in Ecclesia. Miscet enim tempus nunc præsens, nunc futurum. Vident enim dixit, quia non videbunt.
- Joan. 16. v. 2.* Sicut Dominus in Evangelio ait: Veniet, inquit, hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium facere Deo. Et nunc est quod dicit veniet. Denique quomodo dicit veniet, sic hoc dixit, facient, quia non cognoverunt Patrem, neque me. Non dixit facient, quia non cognoscent. Numquam enim separat præsens tempus à novissimo, quo revelabitur Antichristus. Nunc verò spiritualis nequitia hæc facit in Ecclesia. Et corpora eorum non permittentur poni in monumentis. Votum eorum dixit qui ad pœnitentiam confugiunt: desiderant, ut corpore sepeliantur; & qui de parte diaboli sunt,

sunt, eos devotè servire Domino non permittunt. Persequitur enim vir uxorem, & uxor virum; parentes filios, & filii parentes; dominus servum, & servi dominos; & , plusquam pejus, pseudoprophetæ omnes; & servi Dei non valent eorum ferre impugnationem, ut Dominus ait: *Væ vobis, qui clauditis regnum cælorum: nec vos intratis, nec alios permittitis intrare*; cum etiam semper intrent, illis impugnantibus. Isto modo non permittunt corpora eorum poni in monumentis. Facient autem & apertè de vivorum occisorumque corporibus: quia nec vivos permittent sacra celebrando in memoriam colligi, nec occisos in memoria recitari, nec eorum corpora in memoriam testium Dei sepeliri. *Et habitantes terram gaudent super eos, & epulantur, & munera invicem mittunt.* Hoc semper factum est: & nunc munera invicem mittunt, & in postmodum gaudebunt, & epulabuntur. Quotiens enim justī adfliguntur, exultant injusti, & epulantur. Munera invicem mittunt, id est, unus alteri gaudendo denuntiat, sicut scriptum est: *In me psallebant, qui bibebant vinum.* Quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt habitantes terram. Duo Prophetæ duo sunt Testamenta. Cruciare dicuntur terram, qui mundum relinquere præcipiunt; & injusti persequuntur, qui Deo servire cupiunt: & præter plagas quibus propter Testamenta Dei humanum genus arguetur, etiam visus ipse gravat injustos. Sicut ipsi dicunt: *Gravis est nobis etiam ad videndum.* Et non solum gravat, sed & tabescere facit, ut scriptum est: *Peccator videbit, & irascetur: dentes suos stridet, & tabescet.* Gaudebunt ergo cum ubique veluti jam nihil habuerint quod impatienter ferant, disturbatis occisisque justis, & eorum hereditate possessa. *Explicit explanatio.*

Matth.
23. v. 13.

Psal. 68.
v. 13.

Sap. 2.
v. 15.

Ps. 111.
v. 10.

INCIPIT DE EISDEM TESTIBUS HISTORIA.

Cap. XI.
v. 11.

ET post tres dies & dimidium, Spiritus vitæ à Deo intravit in illos. Et steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super videntes eos. Et audiavi vocem magnam de cælo dicentem: Ascendite huc. Et ascenderunt in cælum in nube; & viderunt eos inimici eorum. Et in illa hora factus est terræmotus magnus, & decima pars civitatis cecidit: & occisa sunt in terræmotu nomina virorum septem millia: & ceteri timuerunt, Et dederunt claritatem Deo cæli. *Væ secundum abiit; quod sequitur tertium væ: Ecce væ tertium venit cito.*

I N C I P I T E X P L A N A T I O

suprascriptæ historiæ.

ET post tres dies & dimidium spiritus vitæ à Deo intravit in illos. Jam supradictum est de diebus: hucusque Angelus futurum narravit, & inducit factum quod futurum audivit. Et steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super videntes eos. Et audiavi vocem magnam de cælo: Ascendite huc. Et ascenderunt in cælum in nube. Hoc de resurrectione intelligendum est, quod Apostolus dixit: *Rapiemur in nubibus obviam Christo.* Ante adventum autem Domini nulli hoc posse contingere scriptum est: *Initium Christus, deinde qui sunt Christi perfecti servi rapiuntur in adventum ejus in nubibus.* Unde excluditur omnis suspicio quorundam, qui putant hos duos testes duos viros esse, hoc est, Eliam, & qui cum eo venturus est; & ante adventum Christi cælum in nubibus

1. Thes. 4.
v. 16.

1. Cor. 15
v. 23.

bibus ascendere. Hoc neminem posse dixi antea, nisi in adventu Domini in resurrectione omnis omnino Ecclesiæ, & eos ascendere obviam Christo in aera qui perfecte vixerunt per duo Testamenta. Quod si de his duobus viris diceretur, quomodo poterant habitantes terram de duorum morte gaudere, si in una Civitate morerentur? aut quomodo munera per omnem terram invicem mitterent, si tres dies sint, qui antequam gaudeant de morte, contristabuntur de resurrectione? Cum etiam ad aliquos in tanta terræ latitudine non ante mortis nuntius, quam resurrectionis veniat. Aut quales epulæ & voluptas potest esse, si in plateis epulantium cadavera humana epulis morbos triduoano fœtore miscuerint? Quo manifestum est, qui sint testes, & qui dies; nisi quos supradiximus à passione Domini usque ad secundum ejus adventum. Quod verò dicit *timor magnus cecidit super videntes eos*, de omnibus vivis dixit in adventum Domini: quia & justi, quos viventes invenerit Christus, pertimescent in resurrectione dormientium, cum in tali velocitate fuerit resurrectio mortuorum. Etsi justî tunc pertimescent, quid de peccatoribus erit? *Et videbunt eos inimici eorum*. Hic separavit justos à peccatoribus, quos in commune dixerat timuisse. *Et in illa hora factus est terræmotus magnus*, id est, persecutio (recapitulatio est enim, sicut jam diximus) in adventum Domini. In illa hora *qui in tecto est, non descendat tollere quidquam de domo*. Hora est enim omne tempus. *Et decima pars civitatis cecidit, & occisa sunt in terræmotu nomina virorum septem millia*. Denarius enim numerus, & septenarius perfectus est. Quod si & non esset perfectus, à parte totum intelligendum erat: dicit enim, omnem civitatem cum omnibus ædificato-

Matth.
24. v. 17.

ribus suis cecidisse in persecutione. Duo enim sunt ædificia in Ecclesia, unum supra petram, quod est Christus: alterum supra arenam, quod est fiducia mundi hujus: hoc dicit corruisse. *Et ceteri timuerunt, & dederunt claritatem Deo cæli.* Isti sunt supra petram, quod sunt Sancti, qui in adventu Domini peccatoribus terræmotu morientibus, ipsi justi pertimescentes confessione & animarum suarum neglectu, Deum clarificant. Sicut scriptum est de justo: *Lavabit manus suas* *in sanguine peccatorum.* Videns enim justus peccatoris interitum, plus accenditur in observatione præceptorum, quod cautior, atque purior fiat, sicut scriptum est: Videns impium puniri, *astutior fit.* Finita recapitulatione, quam prætermisso septimo Angelo ingerit, repetit ordinem dicens: *Væ secundum abiit.* Dixerat enim confecto locustarum prælio, *væ* unum abiisse, & *væ* alterum venire; quod scriptum in equis non dixit: *Væ secundum abiit*, ne statim tertium describeret, quoniam recapitulandum erat. Nunc finita ipsa recapitulatione, *væ*, inquit, *secundum abiit*, non recapitulationis, sed equorum, quibus descriptis, *væ* non redierat. *Quod sequitur tertium væ*, est septimus Angelus in quo finis est. Hic videtur duos fines fecisse insequentes; unum recapitulationis, & alterum ordinis. Dixit enim finem in resurrectione testium, quos præter ordinem subjecerat: & inducit alterum *væ*, quod pugnae equorum debebat, dicens: *Væ secundum abiit.* *Et ecce væ tertium venit cito.* Istud tertium *væ*, separatio est justorum & peccatorum in resurrectione. *Explicit de VI. tubis.*

Psal. 57.
v. 11.

Prov. 15.
v. 5.

INCIPIT VII. TUBA, QUOD EST resurrectio omnis carnis.

“**E**T septimus Angelus tuba cecinit, & factæ sunt Cap XI.
 ”voces magnæ in cælo dicentes : Factum es reg- v. 15.
 ”num Dei nostri & Christi ejus, & regnabit in sæcula
 ”sæculorum. Et viginti quatuor seniores, qui in cons-
 ”pectu Dei sedent in thronis suis, ceciderunt in facies
 ”suas, & adoraverunt Deum, dicentes : Gratias tibi
 ”agimus Domine Deus omnipotens, qui es, & qui ve-
 ”nis, quoniam accepisti virtutem tuam magnam, &
 ”regnasti. Et gentes iratæ sunt, & venit ira tua, &
 ”tempus quo de mortuis judicetur, &c.”

Initium dixit & finem, *regnasti, & gentes iratæ sunt.* Primus adventus est Regnasti: venit autem ira tua, & tempus quo de mortuis judicetur: secundus adventus est: *Et dare mercedem servis tuis Prophetis, & timentibus nomen tuum, pusillis & magnis, & corrumpere corrumpentes terram.* Ecce, inquit, væ tertium venit in voce septimi Angeli. Et cun cecinisset, non alios nisi solum Ecclesiam dixit laudantem Deum, & gratias agentem. Unde intelligimus bonorum remunerationem non esse sine væ malorum. Sicut ipsa Ecclesia dixit: *Venit ira tua, & tempus quo de mortuis judicetur, & dare servis tuis mercedem, & corrumpere corrumpentes terram.* Hoc est, væ novissimum, quod est separatio justorum & peccatorum. Hic facit finem, & recapitulat à nativitate Domini nostri Jesu Christi eadem clarius dicturus. *Explicit liber quintus.*



INCIPIIT LIBER SEXTUS

DECEM CAPITULORUM.

Cap. XI.
v. 19.

SCire autem opus est, omnem hanc periocham decem capitulis esse distinctam. Quæ capitula non à se actus Ecclesiastici, quæ per tempora sequuntur, ordinata sunt; sed unumquodque capitulum totius est temporis. (1) Sunt capitula hæc: "Et apertum est templum Dei in cælo: & visa est arca Testamenti in templo ejus; & facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus, & grando magna. [Et vidi, inquit, bestiam ascendentem de abyssu.]" (2)

INCIPIIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ.

Joann. 2.
v. 19.

ET apertum est templum Dei in cælo. Ab usque nato Domino manifestatum est templum Dei in cælo, id est, in Ecclesia: unde ostenditur Ecclesiam in cælo, non in manufactis esse. Templum apertum manifestatio est Domini nostri. Templum enim Dei filius est, sicut ipse ait: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud.* Et dicentibus Judæis: *Quadraginta*

sex

(1) *Incomptè posita verba restitui non valent quatuor ope Codicum quos consului: nisi forte legere velis: Quæ capitula non à serie rerum status Ecclesiastici, quæ per tempora, &c. Ad oram autem horum circa decem capitula verborum, unus habet Codex adnotatum: Non sunt hic omnia capitula.*

(2) *Uncis inclusa textus hujus partes non sunt, nec in aliis Bibliis veteribus reperiuntur.*

sex annis ædificatum est templum hoc ; ille autem de templo corporis sui dicebat. Et visa est arca Testamenti in templo ejus. Evangelii prædicatio est , & indulgentia delictorum ; & omnia dona , cum Christus advenit , dicit apparuisse. Et facta sunt fulgura , & voces , & tonitrua , & terræmotus , & grando magna. Hæc omnia virtutes sunt coruscationis & prædicationis & bellorum Ecclesiæ. Hæc dixerat facta , & in discrepatione (1) prædicationis septem Angelorum ab adventu Domini , cum stetisset super aram , sed generaliter à nativitate Christi usque in finem mundi : deinde descripsit per partes , quemadmodum facta sint intra Ecclesiam spiritualiter , & in Antichristo completum sit specialiter , ut templum Dei in cælo apertum sit , & pugnae secutæ , sicut dicit : *Et vidi* , inquit , *ascendentem bestiam de abyssso*. Post multas plagas sæculo infixas , dixit ascendisse bestiam de abyssso , id est , Antichristum de populo. De abyssso autem ascensurum , multis testimoniis comprobandum. Ait enim Ezechiel : *Ecce Assur , cypressus in monte Libano*. Assur deprimens cypressus , excelsus ramis , id est , populus multus in monte Libano. Regnum regnorum , id est , Romanorum. Formosus in gentibus , id est , fortis in exercitibus. Aqua , inquit , enutriet illum , id est , multa millia hominum , quæ subjecta erant illi. Et abyssus auxit illum , id est , ructavit eum. Jam & Isaias pene eisdem verbis loquitur. Fuisse autem eum jam in Regno Romanorum , & fuisse inter Cæsares , Paulus contestatur. Ait enim ad Thessalonicenses : *Qui nunc tenet , teneat , donec de medio sit ; & tunc apparebit iniquus ille* :

*Verba
sunt Vic-
torini.*

*Ezech.
31. v. 3.*

*2. Thes. 2
v. 7.*

Cc 2

ille:

(1) Fortè præparatione : nam supra pag. 360. dixit (de septem Angelis tubas septem habentibus) præparaverunt se.

ille: cujus adventum secundum operationem Satanæ signis & portentis mendacibus. Ut scirent illum venturum, qui tunc erat princeps, (1) adjecit: Arcanum malitiæ jam molitur; id est, malitiam quam facturus est arcane molitur. Sed non sua virtute, nec patris sui diaboli suscitatur, sed Dei jussu. Quare ergo Paulus
Vers. 10. idem dicit: Idcirco, quia non perceperunt amorem Dei, immittet in eis Deus spiritum erroris, ut omnes persuadantur mendacio, qui non sunt persuasi veritate.
Cap. 59. Et Isaias ait: Sustinentibus illis lucem, tenebræ ortæ s. 9. sunt. Eliam verò, & qui cum eo venturus est, ab eodem interfici, manifestat Apocalypsis; & non tertia die sicut Christus, sed quarta die resurgere, ne quis æqualis Domino inveniatur. (2) Explicit.

INCIPIT MULIER ET BESTIA.

Cap. XII. **"ET** signum magnum visum est in cælo: mulier
 "amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in
 "capite ejus corona stellarum duodecim. Et in utero ha-
 "bens, clamabat parturiens cruciabunda parere. Et vi-
 "sum est aliud signum in cælo: Ecce draco roseus mag-
 "nus, habens capita septem, & cornua decem: Et su-
 "per capita eorum septem diademata; & cauda ejus tra-
 "hit tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in ter-
 "ram. Et draco stetit in conspectu mulieris futuræ pa-
 "rere, ut cum pepererit, natum ejus comedit. Et ge-
 "nuit mulier filium masculum, qui pasturus est omnes
 "gentes in virga ferrea. Et raptus est filius ejus ad Deum,
 "& ad thronum ejus; & mulier fugit in eremum, ubi
 "ha-

(1) Cave ne de Cæsare Nerone id accipias. Vide supra pag. 138.

(2) Hucusque ex Victorino.

»habet locum paratum à Domino , ut ibi eam pascat
»dies mille ducentos sexaginta. Et factum est bellum in
»cælo. Michael & Angeli ejus pugnabant cum draco-
»ne , & draco pugnavit & Angeli ejus : & non value-
»runt , neque locus eorum inventus est amplius in cælo.
»Et expulsus est draco magnus , anguis antiquus , qui
»dicitur diabolus , & Satanas , seducens totum orbem :
»expulsus est in terram , & Angeli ejus cum eo expul-
»si sunt. Et audiui vocem magnam in cælo dicentem :
»Modo facta est salus , & virtus , & regnum Dei nos-
»tri ; quoniam exclusus est accusator fratrum nostrorum ,
»qui accusat eos in conspectu Dei die ac nocte. Et ipsi
»vicerunt eum in sanguine agni , & propter verbum tes-
»timonii eorum ; & non dilexerunt animas suas usque
»ad mortem , ut adhuc esset in cælo. Væ tibi terra &
»mare , quia descendit ad vos diabolus habens iram mag-
»nam , sciens quoniam breve tempus habet. Et cum vi-
»disset draco quia exclusus est in terram , persequutus
»est mulierem quæ peperit masculum : & datæ sunt
»mulieri duæ alæ aquilæ illius magnæ , ut volaret in
»eremum , in locum suum , ubi nutritur illic per tem-
»pus & tempora , & dimidium tempus à facie serpen-
»tis. Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam
»velut flumen , ut eam à flumine auferret. Et adju-
»vit terra mulierem , & aperuit terra os suum , &
»absorbuit flumen , quod misit draco ex ore suo : &
»iratus est draco in mulierem , & abiit facere bellum
»cum reliquis seminis ejus , qui servant mandata Dei ,
»& habent testimonium Jesu Christi. Et stetit super
»arenam maris." *Explicit historia.*

INCIPIT EXPLANATIO suprascriptæ historiæ.

ET *signum magnum visum est in cælo. Cælum Ecclesia est. Signum magnum, Deum ex homine fieri. Mulier, inquit, amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus.* Frequenter dictum est genus in multas dividi species, quæ omnia unum sunt. Nam quod est cælum, hoc templum in cælo: hoc mulier amicta Sole, hoc Luna sub pedibus ejus: tamquam si diceret, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus: aut Luna amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus. Omnia enim bipartita sunt. Ecclesiam dicit partem suam sub pedibus habere. Ista pars quæ sub pedibus est, ad Ecclesiam videtur pertinere: sed Ecclesia non est, quia congregatio maligna est, quæ superiores stellas cum dracone diabolo & suo pseudopropheta, ad hanc Ecclesiam pertrahit, ut semper sibi socios requirat, cum quibus præcipitur in gehenna. Semper enim hæc mulier etiam ante adventum Domini parturiebat in doloribus suis; quæ est antiqua Ecclesia Patrum, & Prophetarum, & Sanctorum Apostolorum, quæ gemitus & tormenta desiderii sui habuit usquequo fructum ex plebe sua secundum carnem, olim promissum sibi, videret Christum ex ipsa gente corpus sumpsisse. *Sole autem amicta*, id est, in bono opere manifestata; per quam spem resurrectionis in Christo lumine claritatis expectat & gloriam repromissionis. Luna verò in nocte lucere solet: Ecclesia est, quæ in tenebris istius sæculi à malis videri non potest, quia casus Sanctorum corporum ex debito mortis, quo deficere numquam potest: nam quemadmodum minuitur vita, ita & au-
ge-

getur. Nec in totum extincta est spes dormientium, ut quidam putant; sed habent in tenebris lucem, sicut Luna inter ipsas tenebras, quos sub pedibus mulieris esse diximus. Corona autem stellarum Sancti sunt. *Et in capite ejus corona stellarum duodecim*; id est, in Christo duodecim tribus Israel. In duodenario numero Ecclesia constructa, quæ prima ante adventum Domini, quasi ante Solis ortum, in nocte sæculi relucebat. Et quia signum magnum visum est in cælo; cælum Ecclesia est: Signum magnum Christus est: Stellarum quoque relucentium millia, hoc est Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Sacerdotum, & Confessorum, virtutum suarum luminibus radiantes. *Et visum est aliud signum in cælo: Ecce draco roseus magnus*, id est, diabolus. Aliud autem signum dixit de contrarietate. Supra dixit *Signum magnum*, & hic *aliud signum*: nam professione una est Ecclesia, & mysterio facinoris, & eo nomine & charismate quod Ecclesia facit signa & prodigia, quærens Ecclesiæ natum devorare. In cælo enim visus est draco, id est, in Ecclesia congregatio maligna cum diabolo, qui Ecclesiæ filium, id est, in pœnitentia fortem virum invidia ductus devorare conatur. Sic denique Herodes intestinus hostis, in Oriente viso signo consentiens, simulat se Christum adoraturum, quem Spiritus Sancti gubernatione subtractum totis viribus quærebat occidere. Herodes diabolus est. Signum in Oriente, Christus est in Ecclesia, qui nos oriri facit ad lucem. *Habentem*, inquit, *capita septem, & cornua decem. Et super capita eorum septem diademata*. Capita Reges sunt: & cornua, regna, sicut in isto libro expositurus est. Sed quot sunt regna totidem cornua: idem enim numerus. In septem ergo capitibus omnes Reges,

& in decem cornibus omnia regna dicit. Decem enim regna esse non possunt, quia in toto mundo III. regna sunt: Id est, caput aureum; & pectus, & brachia de argento; & venter & femora ex ære; tibiæ autem ferreæ. Et in hoc regno quarto ferreo, id est, Romanorum, in quo res geritur, quia omnia quatuor sunt, & in quatuordecim dilatantur. Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt: in consumptionem mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se dividant; & undecimum surrecturum esse parvulum Regem, id est, Antichristum, qui de parvula gente Judæorum, id est, de tribu Dan, qui inter ceteros fratres suos hereditatem in terra repromissionis non est sortitus, sed ad aquilonem est castrametatus. Revera illum est imitatus, qui dixerat: *Ponam sedem meam ad aquilonem.* Proinde dicitur parvulus, eo quod non debebatur ei honor regius. Ipse est Antichristus, qui tres Reges de decem Regibus superaturus est, id est, Ægyptiorum Regem, & Africæ, & Etiopiæ; quibus interfectis, etiam septem alii Reges Antichristo colla submittent.

Isai. 14.
v. 13.

Et cauda ejus trahit tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram. Hoc duobus modis intelligendum est, sive de Angelis qui de cælo projecti sunt, sive de hominibus qui de Ecclesia foris projiciuntur. Cauda draconis, Prophetæ iniqui & Prædicatores mendaces sunt, qui stellas cæli adhærentes sibi dejiciunt in terram. In Scriptura Sacra stellarum nomine aliquando Sanctorum justitia, quæ in hujus vitæ tenebris lucet; aliquando verò hypocritarum simulatio demonstratur: qui bona, quæ faciunt ad percipiendas laudes ab hominibus, ostentant. Si enim recte vi-

ven-

ventes stellæ non essent , nequaquam Paulus discipulis diceret : *In medio nationis prave , & perversæ , inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Rursum , si inter eos qui recta agere videntur , iidem de opere suo retributionem laudis humanæ non quærent ; nequaquam stellas Joannes trahere à cælestibus videret , dicens : *Misit draco caudam , & traxit tertiam partem stellarum.* Draconis enim caudà , stellarum tertia pars trahitur , quia extrema persuasionem Antichristi quidam , qui videntur lucere , rapiuntur. Stellas namque in terram trahere est eos , qui videntur studio vitæ cælestis inhærere , ex amore terreno iniquitate aperti erroris involvere. Cauda ergo , ut diximus , prædicatores iniqui sunt ; qui has stellas imitantur , ipsi sunt sub pedibus mulieris. Tertiam autem partem stellarum cæli dixit , ne quis putaret esse illam tertiam quæ foris est , id est , paganos : sed alteram duarum , quæ in cælo est , id est , Christianos intra Ecclesiam. Duo signa dixit in uno loco : mulierem (quæ est Ecclesia , & in una Ecclesia duas esse partes ; unam Dei , & unam diaboli) , & diabolum cum Regibus suis & regno. Non est enim alius Rex , aut aliud regnum , cujus sint falsi fratres , quam mundi , & in Christum se dicunt credere & diabolo deserviunt , & regali amicitia freti , ex se , & ipsis confitentibus Christo recusato , & veluti lege damnato , ore confiteantur , & operibus dicant : Nos non habemus Regem , nisi Cæsarem.

Philip. 2.
v. 15.

Joan. 19.
v. 15.

Et draco stetit in conspectu mulieris futuræ parere , ut cum pepererit , natum ejus comedit. Quotiens spiritus futura promittit , & præterita narrat , id futurum in Ecclesia , quod factum est , præmonet. Semper enim cruciatibus parit Ecclesia Christum per membra : unde & semper filii hominis adventum promisit , eo quod

Sanc-

Sanctis adveniat in claritate similium passionum, sicut & ipse Dominus passus est. Semper enim & draco in cælo per cælestia, id est, per spiritalem nequitiam, quærit devorare nascentem. Qui puer masculus, id est, fortis in pœnitentiæ contemplatione, ad thronum Dei rapitur. Omnis itaque filius hominis patitur: quod patitur, & à quibus passus por tertium diem resurrecturus, in Herode Rege omne intestinorum corpus ostensum: sic enim dictum est in Evangelio: *Mortui sunt qui quærebant animam pueri. Revertere*, inquit ad Joseph, *in terram pueri*. Quid est Herodes, nisi diabolus, qui in vitiis regnat? Quid est terra pueri, nisi cælestis Jerusalem? Nemo potest ad terram propriam revertere, nisi diabolo mortuo, id est, excluso. Sic in Herode ostensum est, Christum jugiter nasci, atque ab eo semper requiri. Cum enim jam natum cognosceret, non dixit: *Ubi Christus natus est; sed ubi nasceretur*. Compulsus est verum dicere, sicut Caifas, qui à se loquutus non est, sed cum esset Pontifex prophetavit, cum diceret: *Expediit unum hominem mori pro populo*.

Matth. 2.
v. 20.

Vers. 4.

Joan. 11.
v. 51.

Et genuit mulier filium masculum; id est, fortem ad pugnandum, ad vincendum; qui non quemlibet Sanctorum virorum imitando, sed ipsam veritatem contemplabiliter intuendo, operantem justitiam, ut ipsam intelligat & sequatur, id est, Christum, ad cujus imaginem & similitudinem factus est veritate. *Qui pasturus est omnes gentes in virga ferrea*. Utique & corpus ejus enascens, id est, Ecclesia, potestatem habet regere in virga ferrea: quia *spiritualis* quisque effectus, & Deo similis factus, secundum Apostolum, *judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur*. Sicut idem Dominus dicit: *Qui vincit & servat usque in finem opera mea, dabo ei potestatem super gentes; & pascet eas in vir-*

1. Cor. 2.
v. 15.

Apoc. 2.
v. 26.

ga ferrea, & sicut vasa fictilia confringentur. Sicut & ego accepi à patre meo.

Et raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus. Omnis qui toto mentis ardore ad Deum convertitur, quasi mortuus per pœnitentiam resurgit. Et cum surrexerit, ab activa vita trahitur in contemplativam: & inreverberatis oculis cordis, ut ad radios Solis aquila, jam non reflectitur ad cœlestia; tunc filius masculus ad thronum Dei dicitur raptus. *Et mulier fugit in eremum, ubi habet locum paratum à Deo, ubi eam pascat dies mille ducentos sexaginta.* Mulierem Ecclesiam diximus. Eremum desertum esse non dubitamus. Et quid desertum, nisi derelictum, ubi nullus laborator habet accessum? In eremo enim serpentes & bestię solent habitare, non homines. In hac ergo eremo fugere dicitur mulier, id est, inter homines iniquos, ubi via non reperitur, quod est Christus. *In eremum* itaque dicit, inter scorpiones & viperas, & omnem virtutem Satanae, quam calcandam à Deo accepit Ecclesia. Similitudine namque totius Ecclesiae in eremo inter hujusmodi serpentes pastus & gubernatus est Israel, serpente cruce perempto: omnia enim figuræ nostræ fuerunt. David denique junxit figuram, quæ in eremo præcesserat, proprietati quæ in toto mundo geritur. Sic enim ait: *Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimicorum. De regionibus congregavit eos: à Solis ortu usque ad occasum ab aquilone & mari. Erraverunt in deserto in siccitate: viam, &c.* Et descripsit totam Ecclesiam in eremo, id est, in Israel, quod sunt videntes Deum. Jeremias dicit, eremum esse homines iniquos: *Maledictus, ait, homo, qui spem habet in homine, & firmat carnem brachii sui, & à Domino discedit cor ejus. Et erit sicut Tamaris in deserto, & non videbit cum venerint*

*Ps. 106.
v. 2.*

*Jerem.
17. v. 5.*

bona : & habitabit inter iniquos in terra deserta , & in terra salsa , quæ non habitabitur. Vides quia iniqui terra deserta sunt , in qua Deus non habitare dicitur. In hac terra mulier , id est , Ecclesia habitat , & ibi pascitur cælesti doctrina donec finiantur dies mille CC. LX. id est , à primo adventu Domini usque ad secundum ejus adventum , donec ab iniquis liberetur. *Et factum est bellum in cælo* , id est , in Ecclesia , ubi draco supra dictus semper pugnat cum Sanctis. *Michael & Angeli ejus pugnabant cum dracone.* Michaellem Christum dicit ; & Angelos ejus , Sanctos homines. Nemo est præter Dominum , qui habeat Angelos , nisi Dominus Jesus Christus , sicut Daniel ait : *Tunc ad id tempus adveniet Michael Archangelus ille major , qui filiis populi tui præest : & eo tempore erit pressura populi tui , qualis numquam fuit , & ex quo gentes esse cœperunt usque ad illam horam.*

Dan. 12.
v. 1.

Et draco pugnabit , & Angeli ejus. Absit enim , ut credamus diabolum cum Angelis suis in cælo ausum esse pugnare , qui in terris unum hominem Job à Domino postulavit , ut læderet. Potestatem namque pugnandi cum semine mulieris , id est , cum Sanctis , non cum filio Dei , aut Angelis ejus , accepit. Pugnat in cælo cum Christo , sed in Ecclesia , homine induto. *Et non valuerunt , neque locus eorum inventus est amplius in cælo.* In omnibus Sanctis dixit , qui credentes Christo semel expulsum diabolum amplius non recipiunt. *Et expulsus est draco magnus anguis antiquus , qui dicitur diabolus , & Satanas , seducens totum orbem , expulsus est in terram , & Angeli ejus cum eo expulsi sunt.* Draco princeps diabolus est : & Angeli ejus , homines sunt mali , & spiritus immundi. Omnes cum suo Principe expulsi sunt in terram. Terram carnalem hominem

nem dicit, qui terrena diligit, cui dictum est: *Terra Gen. 3. es, & in terram ibis.* Justo verò dictum est: *Cælum es, v. 19. & in cælum ibis.* Ab ipsis justis excluduntur qui in terram expulsi sunt, conculcandi pedibus Sanctorum, sicut scriptum est: *Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem, & draconem.* Non quod Sancti pedibus eos conculcent, cum malum pro malo non reddant: sed cum illi amant terrena, & Sancti ad cælestia anhelant, & nihil terrenum desiderant, & tribulationem & paupertatem æquanimiter tolerant, super ipsos mente, non corpore ambulare dicuntur. Quia Christus, qui semel exemplum se sequentibus reliquit, talem *potestatem dedit suis calcare serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem Satanæ.*

Psal. 90. v. 13.

Luc. 10. v. 19.

Et audiivi vocem magnam in cælo dicentem: *Modò facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus.* Vox magna in cælo, victoria est Christi, & salus quam dedit Ecclesiæ suæ, cum in carne apparuit. Omnia regna mundi serviunt ei, id est, Sancti: & idola destruxit, quæ nihil videbantur esse. Ante ejus adventum à Patriarchis & Prophetis sperabatur, sed non videbatur: postquam venit, discipulis dixit: *Multi justī & Prophetæ concupierunt videre quæ videtis, id est, me in carne. Beati oculi qui vident quæ vos videtis, felices aures quæ audiunt quæ vos auditis.* Tunc illi dixerunt: *Modò facta est salus Dei nostri.* Quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicerunt eum in sanguine Agni, & propter verbum testimonii eorum; & non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Si ut quidam putant, Angelorum vox est ista de superiore

Matth. 13. v. 16.

fra-

fratrum nostrorum, sed accusator noster: nec accusat, sed accusabat. Quod si justos in terris positos Angeli appellaverunt fratres suos, non erat gaudendum missum esse in terram diabolum, cum diabolus & homines in terra habitarent. Si ita est intelligendum, nullum gaudium erat homines habitare cum dæmonibus. Sed, ut supra diximus, Apostolorum credimus vocem esse, cum diabolus cognoverunt ligatum tene-ri, & Dei filium incarnatum in Sanctis suis regnare cum diceret: Modò facta est salus, & regnum Dei nostri, quia confusus est accusator fratrum nostrorum, qui accusat eos die ac nocte, quod nunc in Ecclesia videtur esse. Scriptura enim Sacra sæpe diem pro prosperis, noctem verò pro adversis ponere consuevit. In die ergo & nocte accusare non cessat, quia modò nos prosperis, modò in adversis accusat. In die accusat, cum in prosperis mala nobis verbo, aut facto, aut cogitatu insinuat. In nocte accusat, cum in adversis nos non habere patientiam demonstrat. Ut adhuc esset in cælo. Sic enim in terra maledicunt dicentes: Væ tibi terra & mare, id est, qui in cælo non estis, quod est Ecclesia. Terra & mare, homines mali sunt. Quia descendit ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quoniam breve tempus habet. Descendere diaboli in terra & in mari, id est in hominibus malis habitare. De cælo dejicitur, cum à Sanctis expellitur, ubi de-jectus à Sanctis descendit in suos. Mali enim non pos-sunt cæli fieri, nisi diabolo excluso: & cum exclusus fuerit ab eis, tunc dicitur diaboli locus ultra inven-tus non esse in cælo. Et cum vidisset draco quia ex-cclusus est in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum. Quanto enim diabolus dejicitur, tanto magis persequitur. Et datæ sunt mulieri duæ alæ
aqui-

aquilæ illius magnæ, ut volaret in eremum in locum suum, ubi nutritur illic tempus, & tempora, & dimidium tempus à facie serpentis. Duas alas, duo Testamenta dicimus esse, quæ accepit quo serpentem fugeret in eremum. *In locum suum*, qui illi datus est, id est, homines malos, sicut dicit: *Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum.* Tempus, & tempora, & dimidium tempus, à passione Domini dicit usque in finem sæculi, sicut jam supra diximus. *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam velut flumen.* Jam supra diximus serpentem diabolum esse. Aqua verò velut flumen, populus est persecutor Ecclesiæ. Cum Sanctos spiritualiter decipere non potest, populum incitat contra Ecclesiam, ut eos aliquo modo vel in verbo decipiat, ut eos semper unde accuset habeat, sicut dicit: *Ut eam à flumine auferret. Et adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbit flumen, quod misit draco ex ore suo.* Terra hoc loco Christus filius Dei est incarnatus, sicut scriptum est: *Terra nostra dedit fructum suum*, id est, Sanctos suos qui in ea germinant. Nam Dominus noster Jesus Christus, qui interpellat pro nobis, & istas persecutiones à nobis removet, cum ipsa terra sedet ad dexteram virtutis: quotiens enim persecutiones Ecclesiæ irrogantur, sanctæ terræ precibus admovetur. Cum enim mali persequuntur Ecclesiam, tunc boni passione Domini ad mentem reducta, inter flagella lætantes, cuncta æquanimiter portant adversa. *Et iratus est draco in mulierem, & abiit facere bellum cum reliquis seminis ejus, qui servant mandata Dei, & habent testimonium Jesu Christi.* Non quod diabolus jam sic est projectus sicut legimus eum de cælo projectum; cum in illo suo vase Antichristo habitaturus erit

Matth.
10.v.16.

Psal. 84.
v. 13.

erit in finem, qui adhuc modo ligatus tenetur; cum adhuc aperte Ecclesiam non devastat; cum & multos videmus, alios per longam, alios per brevem, poenitentiam redire: postquam verò in illo suo vase ingressus fuerit, tunc nemo convertetur, quia omnes quos in studio vitæ carnalis invenerit, sub jugum suæ ditionis rapiet. Sed tamen ante oportet Eliam prædicare, & pacis tempora esse, & postea consummato triennio & sex mensibus prædicatio Eliæ jactaturi eum de cælo, ubi habuit potestatem ascendendi usque ad illud tempus, & Angelos refugas universos. Sic & Antichristum de inferno suscitare Paulus Apostolus ait:

Nisi prius venerit discessio, & apparuerit homo peccati, filius perditionis, & adversarius qui se elevavit super omne quod nominatur Deus aut quod colitur. Sed quia, Enoch & Elia prædicante, multi ex his qui tunc ex Judæis ad cognitionem veritatis redeant, & in extremis cum Judæa crediderit, gravissimas persecutiones Antichristi tempore sentit, ita ut prædicationes ejus ministri iniquitatis non recipiant, sed resistentes, eos vinculis dolorum premant. Et in medio eorum prædicator non egredietur, quia ad corda pravorum prædicatio non pervenit, dum lingua bonorum ligata tribulationibus tacet. Erunt enim tunc multi ex Judæis infidelibus, qui eosdem ipsos qui ex Judæis crediderint, persequantur. Nunc verò spiritualiter intelligendum est, quod tunc specialiter factum erit. Dicit enim iratum draconem in mulierem, & abiit facere bellum cum reliquis seminis ejus, id est, cum Sanctis non posse continuari persecutionem, quod sanctæ terræ in conjunctione sint, magis ac magis se armavit, mysterio facinoris insistere quo posset semper insidiari, sicut dicit: *Et stetit super arenam maris,*

ris, id est, super multitudinem populi sui, ubi & Rex esse dignoscitur. *Explicit explanatio mulieris & draconis.*

INCIPIT HISTORIA BESTIÆ & ejusdem draconis.

“**E**T vidi ascendentem bestiam de mari, habentem Cap. XIII
 ”cornua decem, & capita septem, & super cornua
 ”ejus decem diademata, & super capita ejus nomen
 ”blasphemiarum. Et bestia, quam vidi, similis erat Pardo,
 ”& pedes ejus sicut Ursi, os ejus ut Leonis: & dedit ei
 ”draco virtutem suam, & sedem suam. Et vidi unum
 ”ex capitibus quasi occisum in morte, & plaga mortis
 ”ejus curata est. Et mirata est omnis terra sequuta
 ”bestiam: & adoraverunt draconem, quoniam dedit
 ”potestatem bestiæ, & adoraverunt bestiam dicentes:
 ”Quis similis bestiæ, aut quis poterit cum ea pugnare?
 ”Et datum est ei os loquendi magnam blasphemiam: &
 ”data est ei potestas facere menses quadraginta duos.
 ”Denique aperuit os suum in blasphemiam ad Deum,
 ”blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos
 ”qui in cælo inhabitant. Et datum est ei facere bellum
 ”cum Sanctis, & vincere eos. Et data est ei potestas
 ”super omnem tribum, & populum, & linguam, &
 ”gentem: & adoraverunt eam omnes habitantes terram,
 ”quorum non est scriptum nomen in libro vitæ Agni
 ”occisi ab origine mundi. Qui habet aures, audiat. Si
 ”quis in captivitatem vadit, si quis eum in gladio occiderit,
 ”utique captivum, in gladio occidetur. Hic est
 ”patientia, & virtus Sanctorum.” *Explicit historia.*

INCIPIT EXPLANATIO suprascriptæ historiæ.

ET *vidi ascendentem bestiam de mari.* Supra enim dixit ascendentem bestiam de abyssu : nunc dicit de mari. Hæ duæ bestiæ una est. Mare & abyssus unum est, de qua dixerat ascendere istam bestiam. Quod est mare, hoc abyssus, hoc bestia. Ergo populum vidit, de populo ascendentem, id est, nascentem, sicut flos de radice descendit. Sicut herba venenosa cum hyeme moritur, verno tempore ex ipso semine renascitur; sic homines mali cum sint, suo tempore moriuntur, & ex ipsis alteri mali qui eos imitentur, nascuntur. Sic enim

Matth. 3. v. 7. Joannes Baptista dixit Judæis: *Progenies viperarum;* quia sicut de viperis nascuntur viperæ, sic etiam de hominibus malis homines mali. Qui eos in opere imitantur, licet carne non sint filii, imitando filii dicuntur. Sic enim dicimus filios diaboli imitando diabolum, sicut filios Sactorum & semen Sanctorum, imitando Sanctos, & dicimus filios Dei, imitando Deum. Ita intelligendum est bestiam ascendere de abyssu, ascendere de mare, ascendere de terra : hoc totum una bestia est. Solum diabolus, qui projectus est de cælo, id est, serpens antiquissimus, numquam de hoc mundo, ut homo, pertransit, sed in officio & opere unus cum bestia est : & hæc bestia non in uno loco requiratur, quia in omni omnino mundo est. Sed quia per Reges hæc bestia regitur, proinde de regno Romanorum (1), qui penè omnem mundum suæ ditioni subjugant, pro hoc in finem mundi per decem cornua & septem capita cum

(1) *Supple, exponenda, aut quid simile.*

cum Antichristo in toto orbe regnare dicitur. Hæc est bestia terribilis, quæ in Daniele *mirabilis & fortissima* scribitur; *dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans.* Quantum, quod nunc orbem tenet, Imperium Romanum est, de quo in statua dicitur: *Tibiæ ejus ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis.* Et tamen ipsius ferri ex parte nunc meminit, dentes ejus ferreos, & manus esse contestans. Satisque miror, quod cum tres bestias, Leænam, Ursum, & Pardum [in tribus regnis posuerit] (1) (id est, in Leæna caput aureum, quod est regnum Babylonium; in Urso, pectus & brachia de argento, quod est regnum Persarum & Medorum; in Pardo venter & femora ex ære, quod est regnum Macedonum) Romanorum regnum nulli bestię compararet, sed terribile solummodo dixit. Nisi forte ut timidam & metuendam faceret bestiam, vocabulum tacuit, ut quidquid ferocius cogitaverimus in bestiis, hoc Romanos intelligamus, dum in uno Imperio Romanorum omnia simul regna cognoscimus, quæ prius fuerant separata. Illud autem quod sequitur, *comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans,* significat omnes gentes vel interfectas ab eis, vel tributo subjugatas. *Et habebat cornua decem:* Reges enumerat, qui fuerunt sævissimi, ipsosque Reges non unius regni, verbi gratia Macedoniæ, Syriæ, Asiæ, & Ægypti; sed de diversis in toto mundo regnis unum efficit regnum. Sive hæc decem cornua decem Reges dicimus, per quos facta sunt in eorum persecutione cuncta martyrum caterva: ita credimus typice decem Reges esse

Dan. 7.
v. 7.

Cap. 2.
v. 33.

Ex Hier.
in Daniel. 7.

Dd 2

fu-

(1) Desunt in Codicibus nostris: extant apud Hieronymum loco citato, in Danielem; ex quo nonnulla perperam scripta restituimus.

futuros in finem mundi : inter quos Antichristus , tribus occisis , cum septem erit regnaturus , quod nunc septem capita nominat. Hæc bestia terribilis , & ceteris bestiis dicitur dissimilis ; sed Agnus adveniens , adversus eam in certamine surgens , moriens prædam excussit. Et hic Agnus & bestia nunc contrarii esse videntur in Ecclesia. Bestia autem generale nomen est contrarium agno. Sed in narratione pro locis intelligendum est , qualem partem bestię dicat ; cum & ipsa bestia unum corpus est , sed distinctè multa membra habeat. Aliquando enim diabolus dicit bestiam ; aliquando corpus ejus , quod sunt infideles , id est , sine baptismo : aliquando unum ex capitibus ipsius bestię , quod quasi occisum resurrexit , quod est imitatio veræ fidei , id est , Christianos intra Ecclesiam malos : aliquando præpositos solos dicit bestiam , id est , Episcopos , vel Sacerdotes , qui carnaliter vivunt intra Ecclesiam : tota membra hæc unum corpus est. Nunc ergo bestiam ascendentem de mari , corpus diaboli dicit. *Habentem cornua decem , & capita septem , & super cornua ejus decem diademata , & super capita ejus nomen blasphemię.* Cum his cornibus & capitibus suis visus est draco in cælo , id est , in Ecclesia. Quod autem dicit *super caput ejus nomen blasphemię* , hoc intelligendum est , quod homines mali , & amatores mundi Reges suos Deos appellant : & non Deum qui fecit omnia , & cujus sunt omnia , sed Reges suos , tam vivos , quam etiam mortuos , laudant , & veluti in cælum , atque inter Sanctos , translatos esse existimant. Alio namque loco nomen blasphemię dicitur , cum se intra Ecclesiam dicunt , & Ecclesiam persequuntur. *Et bestia quam vidi , similis erat Pardo , & pedes ejus sicut Ursi , os ejus sicut Leonis.* Pardo propter varietatem gentium similavit : Urso propter malitiam

& vesaniam : Leoni propter virtutem corporis , & linguæ superbiam. *Et dedit ei draco virtutem suam , & sedem suam.* Draco potestatem suam dedit bestię , quia intra Ecclesiam habet falsos fratres , qui Ecclesia videntur esse , & Ecclesia non sunt. Et per eos diabolus opera sua exercet , quos in Ecclesia vult decipere : propterea dixit Ecclesię : *Scio ubi habitas , ubi sedes est Satanæ.* Ipsi decipiunt simplices in omni virtute, *Sup. cap. 2. v. 13.* & signis , & prodigiis , & mendaciis , qui pereunt , sicut dicit : *Et vidi unum ex capitibus ejus quasi occisum in morte , & plaga mortis ejus curata est.* Jam supra in bestia septem capita diximus : istud verò octavum est. Ipsum est quod diximus , qui sub nomine sanctitatis Ecclesia videtur esse , sed in Ecclesia non est : quia hoc simulacrum sibi diabolus adinvenit , ut sub nomine religionis religiosos decipiat. Hoc caput dicit quasi occisum in morte , & plaga mortis ejus curata , id est , quasi Christum crucifixum sequantur , & crucifixi non sunt : quia non pro Deo , sed propter sæculi honores portant Crucis Christi laborem. Ostendit quia octavum est , sed veritate tamen ex septem est ipsum figmentum : nec separatur ab ipsis capitibus , licet ipsa bestia cum ceteris sanctis una credat , & illud dicat , se habere caput Christum , quòd *habet plagam de gladio , & vixit* , id est , qui mortuus est , *Postea v. 14.* & resurrexit. Secundum veritatem tamen ex septem octavum est. *Et mirata est omnis terra sequuta bestiam.* Tales habet diabolus intra Ecclesiam , qui de foris in vestitu ovium appareant justi , & deintus sunt lupi rapaces. Proinde cum aliis hominibus , qui aperte mali sunt , non deprehenduntur ; sed sancti æstimantur , quia cum eis una connexionione & una actione conjunguntur : & hos habet diabolus intra Ecclesiam,

& populum sub nomine sanctitatis mediatorem. Proinde fecit translationem nominum, ne diceret *mirata est bestia secuta*; ac si diceret: *Si aperte mali fuissent, bestia viderentur esse*. Sed quia sanctitatem simulant, eo quod quasi benedictionem in populis ministrant, proinde dicit *mirata est, omnis terra secuta bestiam*. Terram hoc loco, carnalem populum dicimus, quia cælum Ecclesiam diximus: miratus est ergo omnis populus suus per Sacerdotes suos sibi similes secutus bestiam, id est, diabolum, vel ipsum simulacrum quod illis diabolus invenit, ut sub nomine capitis verè occisi & viventis, id est, Christi, suos socios faciat. Spiritus dicit bestiam, (1) verum illi non factis, sed lingua Christum se dicunt sequi. *Et adoraverunt draconem, quoniam dedit potestatem bestiae*. Illi in lingua dicunt adorare se Deum, qui dedit potestatem Christo, id est, Christum cognoscunt in carne venisse. Bestia enim deinceps caput illud velut occisum in mortem dicit. Et nota quia non *occisum* dicit, sed *quasi occisum*. Quia Christum non sequuntur in passione, sed solum nomine sancti volunt esse: proinde dicit caput quasi occisum. Tunc translationem fecit nominis à toto corpore ad caput, cum bestiae terrae nomen dedit dicens: *Et mirata est omnis terra secuta bestiam*. Ipsum caput qui sunt Sacerdotes, quod inter septem octavum diximus, ipsum mirantur, & sequuntur populi; ut apertè intelligas, quod ipsum caput dicat bestiam, & ipsam bestiam terram; &, ut jam dictum est, pro loco intelligendum est. *Et adoraverunt bestiam dicentes: Quis similis bestiae, aut quis poterit pugnare cum ea?* Illi dicunt, *quis similis* Chris-

(1) Congruentius, istos ducit bestia.

Christo, aut quis potest illum vincere? lingua profitentur, sed factis bestiam sequuntur. Et datum est ei os loquendi magnam blasphemiam. Hoc omnibus generaliter dicit, hoc est, de toto corpore dicit, datum esse illis scripturarum eloqui linguâ, & os magnificandi & jactandi se, vel cœlestia loquendi. Blasphemiam verò dixit datam, cum non aperte surgant contra Ecclesiam, cum quasi uni se dicunt esse, & cum se Dei filios dicunt, Dei filiis insidiantur. *Et data est ei potestas facere mensibus quadraginta duobus.* Hic de solis quadraginta duobus mensibus dixit, quod sunt anni tres, & menses sex de Antichristi regno, & nunc in pace sub religione contra Ecclesiam meditantur, quod tunc in pugna aperto ore dicant. *Denique aperuit os suum in blasphemiam ad Deum.* Ante enim per tres annos & dimidium majores, quod supra diximus, à passione Domini usque ad Antichristum, non aperto ore blasphemabant. Quia semper Ecclesia à malis omnibus videbatur esse, non aperto ore blasphemabant Ecclesiam, sed sub nomine sanctitatis in mysterio facinoris. Hoc tamen dum tempus venerit Antichristi, cum facta fuerit discessio, id est, aperte separata fuerit Ecclesia, & revelatus fuerit in toto mundo homo peccati, tunc nudabitur, & aperiatur, & intelligetur, & cognoscetur illud, quod ante sub religione occulto ore ad Deum loquebatur blasphemias: nam modo quasi catholica loquitur. Sic enim loqui Deus dicit malos ad Deum, ut seducant: *Stultus Isai. 32. stulta loquitur, & cor ejus vana intelligit, ut perficiat scelestas, & loquatur ad Deum seductionem, & dispergat animas esurientes, & animas sitientes inanes faciat.* Quis loquitur ad Deum seductionem nisi qui ad hoc simulat se Deo servire ut decipiat? Ad

Deum enim loquuntur qui sancta verba catholica loquuntur : sed ad hoc loquuntur , ut possint simplices & incautos per hæc verba seducere , mandatorum Christi immemores , qui facta habent Pharisæorum , & per hæc verba cathedræ Moysi adplicantur , & primas cathedras , & primos honores concupiscunt , ut ab hominibus Magistri nuncupentur. Sic & cum foras exierint , aperte blasphemabunt ; sed eos quos solebant occulte blasphemare , sicut dixit : *Aperuit os suum in blasphemiam ad Deum , blasphemare nomen ejus , & tabernaculum ejus , & eos qui in cælo inhabitant.* Tabernaculum in itinere est , domus verò in habitatione. Ergo tabernaculum servi Dei sunt , qui ad cælestia festinando in hoc mundo nihil cupiunt habere : Cælum Ecclesia est. Quid sit tabernaculum Dei , exposuit , dicens , *eos qui in cælo inhabitant* , & in his subauditur , *aperuit os suum* , quia semper blasphemant eos , qui in cælo inhabitant ; id est , eos quos pure Christum sequi considerant , sed non , ut dictum est , aperto ore non dicunt : *Isti non sunt sancti , quos videmus , sed ipsi sunt sancti solum perfecti , qui in cubiculis inclusi tenentur , aut in eremo in solitudine morantur.* Nam istos meliores nobis esse non prospicimus. Hæc , ut diximus , ad deceptionem loquuntur , qualiter simplices & ignaros decipiant , qui fortasse aliquando boni esse debuerant , sicut dicit : *Et datum est ei facere bellum cum Sanctis , & vincere eos* , hos quos supra diximus simplices , quos decipiunt. Qui adhuc boni credebantur , jam victi sunt tota parte quod vinci potest : & quia in ignorantia cæcitatibus sunt , lucem & tenebras jam unum esse pronuntiant ; id est , Ecclesiam , & Synagogam , unam habere vitam existimant , quia jam aperte decepti , & cum bestia corporati , in tenebris

Matth.
23. v. 6.

bris ambulant. *Et data est ei potestas super omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem: & adoraverunt eam omnes habitantes terram.* Omnes dixit, sed habitantes terram: ipsam terram quam supra diximus, id est, carnales. Nam cælum Ecclesia est: & diabolus & bestiam non adorant nisi solum habitantes in terra, sicut dicit: *Quorum non est scriptum nomen in libro vitæ Agni occisi ab origine mundi.* Unum corpus pro multis membris intelligimus. Supra dixit, *adoraverunt eam omnes habitantes terram.* Hanc terram diabolus habet corpus, quia nomen diaboli non est scriptum in libro vitæ Agni, sic & de toto ejus corpore cum eo signato ab origine mundi: quoniam priusquam esset Agnus, id est, Ecclesia, signatus est in vitam in præscientia Dei. De agno agit & bestia, quæ ab origine mundi non est scripta in libro vitæ cum Agno. *Qui habet aures, audiat.* Quotiens spiritus ea dicit, quæ aliter quam dicuntur intelligenda sunt, ita concludit: *Qui habet aures, audiat;* id est, qui aures cordis habet, intelligat: & si jam cum Christo resurrexit, nihil requirat in terra, sed quæ sursum sunt quærat: ne, dum terrena sectatur, captivus à cælo in infernum mergatur, sicut dicit: *Si quis in captivitatem vadit, si quis eum gladio occiderit, utique captivum in gladio occidetur.* *Hic est patientia & virtus Sanctorum.* Qui sunt captivi, nisi hi qui à dracone & bestia sunt decepti? Omnis enim qui captivum ducit, si eum occiderit, non bellatorem, sed captivum occidit. Hæc est seductio, quam supra diximus, quæ fit in Ecclesia per Sacerdotes nequissimos, qui se simulant Deo servire, ut simplices decipiant, ut sibi sequaces adquirant, cum & ipsi unum sint cum bestia. Descripta generaliter bestia in hypocrisi, id est, in simulatione sanctitatis; deinceps

verò alteram bestiam descripturus est aperto ore blasphemiae in solis praepositis, id est, Episcopis: similiter & hypocrisi non occulta, sicut supra diximus in bestia quam descripsimus, sed aperto ore revelata.

INCIPIT HISTORIA TERTIÆ BESTIÆ.

Vers. II. **E**T vidi aliam bestiam ascendentem de terra, quæ
 „habebat cornua duo, agni similia; & loquebatur
 „quasi draco. Et omnem potestatem prioris bestiae facie-
 „bat in conspectu ejus: & facit terram, & eos qui in ea
 „habitant, adorare bestiam illam priorem, cujus curata
 „est plaga mortis ejus. Et facit signa magna, ut & ignem
 „de cælo descendere faciat in terram in conspectu homi-
 „num. Et seducit eos qui in terra habitant per hæc signa,
 „quæ data sunt ei facere per simulacrum bestiae, sicut ha-
 „bet plagam gladii, & vixit. Et datum est ei dare spiri-
 „tum simulacro bestiae, & faciet ut quicumque non ado-
 „raverint simulacrum bestiae, occidantur. Et facit omnes
 „minimos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos,
 „& servos, ut dent eis notam super manum eorum dex-
 „teram, aut super frontes eorum; & ut ne quis possit
 „vendere, aut emere, nisi qui habuerit notam, aut nomen
 „bestiae, aut numerum nominis ejus.” *Explicit historia.*

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET vidi aliam bestiam ascendentem de terra. Jam supra exposuimus, mare & terram homines esse, id est, corpus diaboli. *Aliam bestiam ascendentem de terra.* De terra quippe ascendere, est de terrena gloria superbire. Quod est mare, hoc terra. *Aliam* dixit de officio, sed una est. Sed aliud agit mare, aliud terra: mare fluctuat, terra quieta est. Mare est populus aperte malus: terra est Episcopi, Sacerdotes, & Religio fal-

falsa : qui sub nomine sanctitatis non videntur in sæculo fluctuare , sed quasi quiete se agere , & Ecclesiam simulare , sed Ecclesia non sunt : quia eam jam in hac bestia aperto ore blasphemant , quam in supra dicta bestia occulto ore blasphemabant. Et illa quæ habet capita septem , & ista una est : sed de istis septem capitibus est quod supra diximus octavum caput , quasi occisum , id est , quasi sub Christum crucifixum. Sed quia in bestia octavum caput esse videbatur , eo quod occulte Ecclesiam blasphemabat , jam in hac bestia aperte blasphematur , quos occulte solebat blasphemare. Et quia supra de mare & de dracone exposuimus & bestia , & unum esse diximus ; adhuc restat ut aliquid disseramus , qualiter istud quod exponimus , demonstremus. Quid verò appellatione maris , nisi corda carnalium tumidis cogitationibus fluctuosa ? Quid autem draconis nomine nisi antiquus hostis exprimitur ? qui dum mentes sæcularium possidendo penetrat , quasi in eorum lubricas cogitationes natat. Bene ergo dicitur : *Vidi ascendentem bestiam de mari* : & istam dicit ascendere de terra , quæ cum ipsa est una , & inter agnum & bestiam priorem stat media , ut decipiat , & agnum simulat , ut agnum invadat. Sæpe enim dominari melioribus concupiscit ; sed tamen ei divino judicio cuncta mirabiliter disponente subtrahitur. Pro explendis voluptatibus carnis longævitatē vitæ præsentis cupit ; sed tamen ab ea sub celeritate rapitur. De aqua per Psalmistam dicitur : *Statuit aquas quasi in utre*. Aquæ quippe in utre sunt lubrica ejus desideria , quibus nocere agno desiderat : cum operis effectum non invenit , sub carnali corde deprimitur. Hæc bestia de terra , præpositi mali sunt in Ecclesia , qui suis voluptatibus traditi falsa de corde suo prophetant. Hæc est bestia , quæ factura est

Psal. 77.
v. 13.

signa, & portenta, & mendacia ante illum in conspectu hominum, id est, antequam veniat Antichristus. *Et habebat cornua duo agni similia*; id est, duo testamenta, Legem & Evangelium, per quæ prophetare se simulat, & inter suos agnum se proferebat, & simulabat speciem justi hominis. *Et loquebatur quasi draco*. Loquitur autem diaboli malitia plenus: hic facturus est signa in conspectu hominum, ut & mortui videantur surgere, id est, per ejus prædicationem quasi multi videantur converti, sed in conspectu hominum. Hæc est illa seductio ad Dominum: agnum præferet, quo draconis venena latenter inserat. Agno enim similis non esset, si aperte ut draco loqueretur. Nunc agnum fingit, quo agnum secure devoret. Ad Deum loquitur, quòd Deum quærentes à via veritatis avertat. Propterea Dominus, admonens Ecclesiam suam, sic ait: *Cavete à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Lupi quid significare videantur, debemus advertere. Bestiæ namque sunt, quæ insidiantur ovilibus: circa pastorales versantur caulas: habitacula domorum intrare non audent. Somnum canum, absentiam aut pigritiam pastoris explorant: oves in guttur invadunt, ut cito strangulent. Feri, rapaces, idemque natura corporis rigidioris sunt, ut facile non possint inflecti. Impetu quodam suo feruntur, & ideo semper lædunt. Tunc præterea, si quem priores hominem viderint, vocem ejus quadam naturæ vi feruntur eripere. Si autem homo prius eos viderit, exagitare memoratur. Et ideo cavendum mihi est, si in hodierno tractatu spiritualium mysteriorum gratia non potuerit refulgere, lupi me prius vidisse credantur, & solemne vocis extorsisse auxilium. Nonne lupis istis, isti qui aperte contra Ecclesiam sur-

gunt,

Matth. 7.
v. 15.

gunt, jam hæretici, comparandi sunt, qui insidiantur ovibus Christi? Fremunt circa caulas nocturno magis tempore, quam diurno. Nocturno, quia inter ignorantes prædicant, quod per diem facere non possunt, quia à sapientibus deprehenduntur. Nox ignorantia est, & dies sapientia: semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi suæ nebulis interpretationis obducere, & quantum in ipsis est, fuscare conantur. Versantur ergo circa caulas, id est, circa septem Ecclesias: stabula tamen Christi intrare non audent, id est, in Ecclesiam, quæ lux est, intrare non præsumunt. Et ideo non sanantur, quia in stabulum suum non vult Christus eos inducere, in quo curatus est ille qui de Jerusalem descendens incidit in latrones: quem, vulneribus alligatis, infuso oleo, & vino, imponens in jumentum suum Samaritanus ille, id est, Christus in corpore suo, duxit in stabulum; & sanandum stabulario, id est, Episcopis sanctis dereliquit. Non accipiunt ergo medicinam, qui medicum non requirunt. Si enim requirerent, non aperte detraherent. Explorant pastoris absentiam: & ideo pastores Ecclesiarum vel occidere, vel in exilium mittere contendunt; quia, præsentibus pastoribus, oves Christi devorare non possunt. Spoliare ergo gregem Domini rapto pastore conantur, qui corporea atque carnea, quasi spiritali mentis intentione, sed duri ac rigidi, nequaquam solent à suo errore deflecti. Et ideo Apostolus ait: *Hæreticum hominem post unam correctionem devita, sciens quia subversor est qui hujusmodi est.* Hos Scripturarum verus interpret Christi illudit, ut inanes suos in vanum effundant impetus, & nocere non possint. Qui si quempiam versuta disputationis suæ circumscriptione prævererint, faciunt obmutescere. Mutus est enim qui verbum Dei non eadem qua est gloria confitetur. Cave

Luc. 10.
v. 30.

Ad Tit.
3. v. 10.

ergo, ne tibi vocem tollat hæreticus, si prior eum non ipse deprehenderis: serpit enim dum latet ejus perfidia. Si autem fraudem impietatis ejus agnoveris, jacturam piæ vocis timere non poteris. Cave igitur versutæ disputationis venena. Ovium petunt guttur & invadunt, vitalibus vulnus infigunt: graves sunt morsus hæreticorum, quia ipsis graviiores & rapaciores bestiis, nullum avaritiæ finem impietatisque noverunt. Nec vos moveant quod formam prætere videntur humanam. Etsi foris homo videtur, intus bestia fremit. Benè ergo Dominus dixit: *Veniunt ad vos in vestitu ovium, intus sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Si quis ergo specie movetur, fructum interroget. Audis aliquem Sacerdotem dici, rapinas ejus agnoscis: vestitum habet ovis, facta prædonis. Foris ovis, intus lupus est, qui modum non habet rapinarum. Tamquam in nocte scythico membra duratus gelu, cruentus ora, circumvolat quærens quem devoret. Non vobis videtur lupus, qui humanæ mortis insaturabili crudelitate, fidelium morte populorum rabiem suam desideravit explere? Ululat iste, non tractat, qui negat vocis auctorem. Iste est qui cum discipulis cupiebat esse, &

Matth. 8. v. 19. non simpliciter, sed fraudulentè Domino ait: *Magister, sequar te quocumque ieris.* Ad quem Dominus dixit: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, ubi requiescant: nam filius hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Videbat mentem ejus more vulpium tortuosam, & volucres, id est, dæmones in eo demorantes. Sed Dominus non obsequiorum speciem,

Cap. 18. v. 5. sed puritatem quærit affectus. Denique sic ait: *Quicumque receperit puerum istum in nomine meo.* Quo loco Dominus simplicitatem sine superbia docet, caritatem sine invidia, devotionem sine iracundia esse de-

debere. Nam pueri mens provectionis affectu recipienda suadet. Quia dum puer nihil sibi vindicat, formam virtutis exequitur: et si rationem facere nescit, culpam ignorat. Tamen quia in multis non virtus, sed infirmitas videtur sine ratione simplicitas; ut veram tu recipias, admoneris. Et ideo ait: *Quicumque receperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Qui enim imitatore Christum recipit, Christum recipit. Et qui imaginem Dei recipit, recipit Deum. Caput Christi Deus est, id est, divinitas, quæ in tortuosa mente non habitat. Proinde quantum potest homo sinceram exhibeat fidem, & observantiam mandatorum religiosa mente custodiat, ne dicatur ei *vulpes foveas habent.* Vulpecula enim fallax est animal, & insidiis semper intenta rapinam fraudis exercet. Nihil tutum, nihil otiosum, nihil patitur esse securum, quod inter ipsa hominum hospitia prædam requirat. Hæreticos autem vulpibus comparat. Denique cum gentes vocat, hæreticos excludit. Duo discipuli venerunt, unus dixit: *Se-* Cap. 8.
quar te; alter dixit: *Dimitte me primum ire, & se-* v. 21.
pelire patrem meum. Et Dominus ait: *Mortui sepe-*
liant mortuos suos: tu me sequere, & vade adnuntia
regnum Dei. Alteri dixit: *Vulpes foveas habent: &*
ideo filius hominis, quia abundavit iniquitas, non ha-
bet ubi caput suum reclinet. Itaque ut intelligas Deum,
 non cultus vestium repellere, sed fraudem; qui repu-
 diaverat fraudulentum, elegit innocentem, dicens: *Se-*
quere me. Sed hoc dicit ei cujus patrem jam sciebat
 mortuum, id est, diabolum, de quo dictum est: *Obli-* Psal. 45.
viscere domum patris tui. Hoc illi non dixit, in quo v. 11.
 vulpes habitare conspexit: vulpes enim plerumque
 fraudis est animal, animarum foveam parans, & in
 fo-

fovea semper latere desiderans. Ita sunt hæretici, qui domum sibi parare non sciunt, sed circumscriptionibus suis alios decipere conantur. Simplex semper domum habitat. Hæreticus verò in fovea est, tamquam fraudulenta vulpes gallinæ illi evangelicæ dolum semper

Matth. intendens, de qua scriptum est : *Quotiens volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos, & non*
23.v.37. *luisti? Ecce relinquetur domus vestra deserta.* Merito foveas habent, quia domum, quam habuerunt, perdidērunt. Hoc animal neque mansuescit aliquando, neque ullius utilitatis est, aut cibo utile. Unde Apostolus ait : *Hæreticum post unam correctionem devita.*
Ad Tit. Non enim de eo dicit Christus : *Meus cibus est, ut*
3. v. 10. *faciam voluntatem Patris mei, qui in cælis est.* Quin
Joann. 4. *v. 34.* etiam Dominus eas à fructibus suis ligare mandat di-

Cant. 2. cens : *Capite nobis vulpes parvulas exterminantes*
v. 15. *vineas.* Hoc est, quod minorem vineam, non majorem exterminent. Et ideo Samson ad caudas earum
Judic. 15 ligavit ardentes faculas, & dimisit in messem alienigenarum : hoc significavit, quod hæretici fructus incendere conentur alienos. Bene ergo bestię comparantur, cum alios devastare non desinunt, sicut dicit : *Loquebatur ut draco, & omnem potestatem prioris bestię faciebat in conspectu ejus.* Prioris dixit supradictæ, quam viderat ascendentem de mari, cui dederat diabolus potestatem suam magnam. Hanc potestatem dixit facere bestiam in conspectu bestię, hoc est, Episcopos, vel Sacerdotes malos, quos describit : omnis potestas populi est, sicut supra diximus, locustarum, & equorum in caudis. *In conspectu* autem bestię dixit, quia adstante populo faciunt Episcopi, vel Presbyteri, sacramenta distribuendo, quod diaboli voluntatem proficiat sub velamento charismatis

Ecclesiæ. Et facit terram, & eos qui in ea habitant, adorare bestiam illam priorem, cujus curata est plaga mortis ejus. Fecit iterum translationem nominum. Bestiam illam cum capitibus vocavit terram, & caput ejus, bestiam: dixerat enim capitis curatam plagam de illa superiore, de ista verò bestia dicit, *cujus curata est plaga*: quia illud octavum caput de illa, ipsum caput est ista bestia. Ostendit, quia omnes partes bestię bestiam vocat, quia in omni operatione suorum diabolus est qui est bestia. Ista ergo bestia quam describimus cum duobus cornibus, quam & partem illius bestię diximus, facit ista bestia, ut quos seduxerit, adorent illam bestiam, id est, faciant ejus præcepta: quia bestiam dixit terram, ut in caput veluti occisum, id est, quasi isti in passione sequuntur Christum in officio & opere, bestię nomen transferret, ne si aperte mali fuissent, diceret, fecit bestia adorare bestiam, quia in solo nomine Christianitatis est, non in opere. Nam si aliud est bestia, aliud terra; cum bestia populus sit, terra quid erit? *Terram autem, & eos qui inhabitant eam*, non sine magna ratione dixit: nam si ratio non esset, debuerat sufficere ut diceret terram, & eos qui inhabitant terram: sed violentiam seductionis ostendit, & animam & corpus ibi tradidisse. Qui enim vi cadit non seductus, solo corpore captivus est: qui autem seducitur, & corpore & anima, quæ habitat in ipso corpore, possidetur: propterea dixit: *Facit terram, & eos qui inhabitant eam, adorare bestiam, cujus curata est plaga mortis ejus.* Intentius perspiciamus. Dominus noster Jesus Christus habet plagam de gladio, & vixit. Hic autem dixit: *Bestiam quæ habet plagam de gladio, & vixit.* Dicit adoratum draconem, adoratam & bestiam, cum

Ex Primasio.

solus draco adoraretur in suis. Non enim, sicut Ecclesia habet mediatorem corporaliter Christum inter Deum & se, ita habet diabolus inter se & suos, sed solo nomine de imitatione Christi. Bestia itaque, quam dicit cum duobus cornibus, quæ est corpus omnibus malis Sacerdotibus, inter diabolum & suos personam non habet, quia in solo est vocabulo, quod dicunt se adorare Christum, qui mortuus est & resurrexit: in quo vocabulo diabolum adorant, qui hoc simulacrum suis adinvenit, ut sub nomine Sacerdotum malorum multa millia hominum ab Ecclesia excludat, & inferorum tartaro tradat.

2. Cor. 11
v. 14.

Ipsa enim Satanas transfigurat se velut Angelum lucis, ut sui Sacerdotes prosperitatem habeant mundi, & à populo obtineant testimonium laudis, & illi populo promittant quietem securitatis. Ipse enim diabolus & suum & mediatoris locum implet, quia mediatorem non habet, nisi simulacrum Christi. Ipsam simulationem dicit bestiam habere plagam gladii, & vivere. Bestia est enim quæ hoc nomine inter se suosque versatur: propterea si quando dicit adorare bestiam quæ habet plagam de gladio & vixit, diabolus ostendit; qui se transfigurat in Angelum lucis, qui vere habet plagam de gladio, & vivit, id est, Christum. Nos adoramus Agnum, qui habet plagam de gladio, & vivit: illi bestiam, quæ se aptat in huiusmodi similitudinem. Tres itaque diabolus bestias veluti occisas habet, & populus duas, mediante imagine: etsi quando media bestia dicitur adorari, in diabolum res cadit, qui suum & huius mediæ hominis implet locum. Medium hominem dicit, ipsos Sacerdotes, qui sub nomine religionis Deo servire se simulant, & per vocabulum Dei diabolus adorant. Nobiscum Christum, qui mortuus est & resurrexit, solo nomine communem habent, & adorant. Et cum ejus quem resurrexisse dicunt

cunt, id est, Christi, solum nomen adorant verbis, factis autem negant; diabolum adorant, qui habet plagam de gladio, & vivit, sed de imitatione & de furto nominis, quo se adorari providit titulo fallendi, quo possent & sui ministri se in Apostolos Christi transfigurare, sola causa qua nos in servitutem redigant, & pro Deo ventrem colant: alioquin adhuc sub idolorum nomine diabolo servirent. Sed dicet aliquis: *Bestiam*, dixit, *quæ habet plagam*, non illam *quæ se simulat habere*. Scire ergo debet hujusmodi ex sensu ejus quem loquitur Scriptura, sicut de Judæis dixit: *Ipsi autem non intraverunt in prætorium, ne contaminarentur, sed ut ederent Pascha*: non enim adfirmavit Scriptura potuisse inquinatissimos inquinari, si prætorium introissent; aut Judæi vere inquinari timuerunt tantorum scelerum consocii, quasi qui scirent Christum esse quem negaverant: sed quid simulassent, quasi adfirmans retulit. Sic & nunc, *bestiam*, *quæ habet plagam de gladio*, & *vixit*, ex sensu eorum locutus est: ex suo enim sensu superius spiritus jam dixerat, non occisum, sed velut occisum. *Et facit signa magna, ut & ignem faciat de cælo descendere in terram in conspectu hominum*: id est, de Ecclesia descendere Spiritum in homines: in terra enim homines dixit: ut sicut Magi in oculis hominum signa faciunt, ita & isti in conspectu hominum; & signa vera ostendunt, sed in conspectu hominum: adstante enim populo datur spiritus baptizandi, sive Sacerdotes ordinandi, sive reconciliandi, sive basilicas sacrandi. *Et seducit eos qui in terra inhabitant*. Utique per hæc signa vera & Ecclesiastica seducit eos, non ut in cælestibus, sed in terrenis habitent; suis factis adhærere in cubiculis & in eremo, id est, in occulto & in deserto. *Et seducit eos qui inhabitant terram*; id est, carnales

Joan. 18.
v. 28.

seducit, quos bestiam probavimus: seducit eos per hæc signa sacerdotalia. *Quæ data sunt ei facere per simulacrum bestię, sicut habet plagam gladii, & vixit*; id est, quasi sic faciat, quasi Christus qui mortuus est & resurrexit: per hæc charismata seducit terrenos seipsos facere simulacrum bestię. *Et datum est ei dare spiritum simulacro bestię*: id est, ipsi populo, ut qui hanc falsitatem impleverit & observaverit, bestię se constituendo simulacrum, ostendit utrumque dare spiritum: unum de charismate sancto, id est, cælestem: alterum spiritum proprium, discipulum cathedræ Moysi. *Ignem facit descendere de cælo*. Ignis de cælo Spiritus Sanctus est, qui descendit super Apostolos, sicut in Actibus Apostolorum legimus. Et nota quia duos spiritus dant: unum de cælo, & unum de terra: in utroque spiritu baptizant, & ex hoc baptismo Sancti in Sancto Spiritu proficiunt; proselyti verò ipsorum, quos decipiunt, in spiritu bestię, ut sint filii gehennæ magis quam ipsi proficientes in pejus. Inducit revelationem ipsius bestię dicens: *Et faciet, ut quicumque non adoraverint simulacrum bestię, occidantur*. Simulacrum autem bestię, pro loco intelligimus sicut bestiam. Aliquando enim ipsum populum dicit simulacrum, id est, quasi nomine Christianum, quod signis seducunt fieri pseudoprophetę, id est, ipsi Sacerdotes: aliquando ipsam similitudinem nominis Christi dixit simulacrum bestię; quia bestia, id est, diabolus, invenit hanc similitudinem, in qua ipse adoretur. Pseudo ergo prophetę, qui sunt Sacerdotes mali, certissime ipsi seducunt terrenos, bestię simulacrum fieri: & facient occidi, si quis non adoraverit simulacrum bestię: non illud simulacrum quod seducunt fieri, sed illud simulacrum cui similem populum faciunt, sicut in Evangelio dictum est: *Qui fecerint*

mandata Patris cælestis, erunt similes patri suo qui in cælis est. Ita & qui voluntatem diaboli faciunt, similes illi sunt, & sub uno Christi nomine, ejus qui habet plagam de gladio & vixit, qui est Dominus Jesus Christus in Sanctis suis, unum corpus est: hypocritis verò bestia, qui hanc Christi inventionem mentitur, similiter unum corpus est. Caput est Christus in suis, & diabolus in suis. Hæc bestia cum duobus cornibus facit, ut superioris bestię simulacrum adorent; id est, ut populus adoret diaboli adinventionem, hoc est, Sacerdotes suos, quos caput quasi occisum in morte diximus. Et facit omnes minimos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos, ut dent eis notam super manum eorum dextram, aut super frontes eorum. Hoc enim ad mysterium pertinet, id est, sacramentum describit facinoris. Supra dixit, faciet, ut quicumque non adoraverint; & hic dicit, facit omnes minimos, hæc faciet, & facit; & futurum dicit quod tempore Antichristi aperte factum erit, & nunc spiritualiter factum est. Sic denique miscuit tempus utrumque, dicendo facit, & faciet. Sancti enim qui sunt in Ecclesia, Christum accipiunt in manu & in fronte. In manu operatio intelligitur Sanctorum: in fronte cognitio est operis Christi, quem secuntur; & quid credunt, & quid operantur, in Ecclesia manifestant. Hypocritæ autem è contrario, notam in manu & in fronte habent sub Christi nomine simulacrum bestię in opere & cognitione. Ostendit præterea, unam bestiam bicornem multos esse. Dum dicit facit, unam ostendit: & dum dicit ut dent eis notam, multos insinuat, sed una est. Magnum malum, & non minimum damnum, quando unus pseudopropheta seducet in omni gente, cum Dominus dicat: Multi pseudoprophetæ exurgent, & seducent multos.

*Matth.
24.v.11.*

Hoc spiritualiter in Ecclesia geritur, quod Antichristi tempore apertissime factum erit.

Apoc. 17
v. 9. 10.
&c.

Et quia bestiae septem capita nuncupavimus, & octavum caput pseudosacerdotes diximus; nunc dignum est, ut per ipsos Reges, quia Antichristum significaverunt, per eorum gesta recognoscendo, Antichristum describamus. *Capita septem hujus bestiae septem montes sunt, in quibus mulier sedet*; id est, civitas Romana: & sicut septem montes sunt, & septem Reges sunt. *Quinque ceciderunt, unus est, alius nondum venit: & cum venerit, modico tempore oportet eum persequere. Et bestia, quae erat, & non est; & ipsa octava est.* Intelligi oportet tempus, quando Scriptura Apocalypsis edita est, tunc & in hoc visum est, quia tunc Cæsar Domitianus erat. Ante illum autem fuerat Titus frater illius, qui habuerunt patrem Vespasianum, Vitellius & Galba: isti sunt qui ceciderunt, quando hæc vidit Joannes. Unus extat, sub quo scripta Apocalypsis, id est, Domitianus. *Alius nondum venit*, Nervam dicit. *Et cum venerit, brevi tempore erit.* Bienium non implevit. Et bestia, quam vidisti, inquit, *de septem est*, quoniam ante istos Reges Nero regnavit: *Et octava est*, & ipsa octava Antichristum præfiguravit, & ventura est. Octava est, & ventura erit. Aut modo cum illa advenerit computatur loco octavo. Et quoniam in illo est consummatio, proinde dicit: *Et in interitum vadit.* Nam *decem Reges*, quos supra descripsimus, quos in regno Romano invenerit, hos Reges accepisse regalem potestatem cum Antichristus moverit ab Oriente, aut mittetur ab urbe Romana cum exercitibus suis: hæc cornua decem diademata Daniel ostendit, & tria eradicare de prioribus; hoc est, tres duces primarios ab Antichristo interfici; ceteros septem dare illi & ho-

Ibid. v.
11.

Dan. 7.
v. 18. &
24.

honorem, & consilium, & potestatem: de quibus hi meretricem odio habebunt, urbem, scilicet, Romanam, & carnes ejus comedent, & ipsam exurent igni. Tanta signa & prodigia & miranda ostendet Antichristus coram carnalium oculis, ita ut ignem de cælo descendere faciat; sed in conspectu hominum, & non vera signa, sed falsa: sicut hodie Magi per Angelos refugas faciunt: & simulabit castitatem & munditiam, cum impurissimus sit: & domum Domini in Jerusalem restaurabit, & faciet ut imago aurea Antichristi in templo Jerosolymis ponatur, & inter Angelos refugas, & inde voces reddat. Faciet hinc, inquam, & Antichristus, *ut accipiant servi & liberi notam in frontibus, aut in manibus dextris*, numerum nominis ejus, id est, *DCLXVI*. Seducet populum, qui ad similitudinem Christi dicet: *Ego sum* A & Ω, id est, primus & novissimus. Faciamus ergo numerum quem dixit, ut in numero inveniamus nomen vel notam. Numerus inquit, *ejus est ACXT*, quod sunt in numero *DCLXVI*. quem faciemus secundum græcos *Acxime*, (1) quia primitus ut eum recipiant, ad Asiam scribit. *Ac* ergo xy sic fiunt *DCLXVI*. Quæ notæ solutæ numerus est, redactæ autem in monogramma, & notam faciunt, & nomen, & numerum, hoc signo *Ⲡ*. In hoc monogramma complet numerum nominis sui, quem faciet in fronte, & in ma-

Ee 4 nu

(1) In corruptum aliquem Codicem suspicor *Auforem* incidisse *Acxime* legendi: nam apud Anonymum in *Apoc. tom. 3. operum S.P.N. August. Homil. XI.* ita verba disposita: Quem (numerum) faciamus secundum Græcos, *MAXIME*, quia ad Asiam scribit, & *Ego*, inquit, A & Ω Sexcenti & sedecim græcis litteris sic fiant *xv*. Quæ notæ solutæ &c. Ad hæc ergo absdubio attendebat *Beatus*: sed non ibi *Acxime*, sed *maxime*: & non id ad nomen, aut numerum nominis *Antichristi*, sed ad *exgesin* spectat. Nec ibi monogramma ex *X & P* signatur: nam *P* in nulla ex præcedentibus græcis litteris reperitur. Vide in Præfatione num. 57.

nu dextra, quod sunt sub uno TCCCXXXV. Tolle
 XLV, & remanent dies TCCL x', quos regnaturus erit,
 & ut supra diximus in monogramma Ψ , id est, una
 littera facere quod est latine *mono*, id est, unum : *gram-*
ma, id est, littera, eo quod in uno caractere compleat
 nomen & numerum suum, quem facit in fronte, aut in
 manu dextra, Ψ . Ergo *anti*, id est, contrarius Christo;
anti enim *contra* dicitur, quia in Christo se simu-
 labit esse ostensum. Ostensa similitudine, quam colit, &
 cui se similem facit adversitas, (1) ita faciet hoc signum
 in fronte, aut in manu, ut *nemo possit emere, aut ven-*
dere, nisi qui hoc signum habuerit in manu aut in fron-
 te. Aspernationem autem Dei & exacerbationem Daniel
 ante prædixerat, sicut dicit : *Statuit templum suum*
inter maria super montem inclytum & sanctum, id est,
 Jerusalem. Ibi ponet imaginem auream, sicut fecerat
 Nabucodonosor, ut, sicut diximus, nemo possit emere,
 aut vendere nisi post caracterem hanc imaginem adora-
 verit. *Et faciet, ut qui non adoraverit, occidatur; &*
ab emptione videatur quem liceat occidere. Sic ergo
 faciet, ut nemo possit mercari, *nisi qui habuerit notam,*
aut nomen bestiae, aut numerum nominis ejus; id est,
 nisi communicaverit notam, aut nomen bestiae, aut nu-
 merum nominis ejus (2) utrum est. Supra denique *notam*
solam, dixit, *ut dent eis in manum, aut in frontem*;
 postea per synonyma ostendit, & notam dici & nomen
 & numerum nominis ejus. Hoc recolens Dominus, ad-
 monens Ecclesias de novissimis temporibus & periculis,
 ait : *Cum autem videritis adspersionem dictam per*
 Da-

Matth.
 24. v. 15.

(1) *Apud præcitatum Anonymum*, cui se similem facit hæreticorum adversitas. *Homil. XI.*

(2) *Aliquid desideratur*, v. g. quod cum nota & numero unum est.

Danielem Prophetam, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Adspersio dicitur quando exasperatur Deus, quòd idola pro eo coluntur, vel dogma hæreticorum in Ecclesiis introducit. Eversio autem est, quod instabiles & carnales homines signis falsis & portentis seducti à vera avertuntur salute. Unum autem ex capitibus bestię, quam supra diximus in pseudopphetis esse, tamquam jugulatum ad mortem, & plagam mortis ejus sanata esse, Neronem dicit, qui Antichristum præfiguravit: & quia octava bestia est, ipse Antichristus est, qui nunc in Ecclesia per pseudosacerdotes subtiliter regnat, tunc aperte Ecclesiam devastabit; quia Judæi Christum crucifixerunt, & pro Christo Neronem Antichristum expectant. Hunc ergo suscitatum Deus mittet Regem dignum dignis, & Christum qualem meruerunt Judæi: & quia non habebit nomen *Nero* Antichristus, sed aliud nomen allaturus est, aliam etiam vitam instituturus est; quod sic cum tamquam Christum excipiant Judæi, qui eis castitatem & munditiam simulet. Proinde ait Daniel: *Desideria mulierum non cognoscet*, (1) cum prius fuerit impurissimus: & *nullum Deum patrum suorum cognoscet*. Non enim seducere poterit populum circumcisionis, id est, Judæorum, nisi legis sit vindicator. Denique & Sanctos non ad idola colenda revocaturus, sed ad circumcisionem colendam. Sic ergo quos potuerit seducere, ita postmodum seductos faciet cognitos sibi, ut *Christus* ab eis appellatur,

*Dan. 11.
v. 37.*

(1) Id ita ambigue positum in Hebræo, ut oppositas patiat interpretationes. Hieronymus: *Erit (inquit) in concupiscentiis feminarum. Septuaginta: Concupiscentiis feminarum non subiacebit.* Consonat Beatus: *Desideria mulierum non cognoscet.* Utrumque verum habere potest sensum, ut Antichristo simulatio castitatis, & Antiocho luxuria tribuatur. Vide Hieronym. in Daniel. XI.

tur, & multa munera Sanctis deceptis largietur. Et terram suo exercitui dividet, & quos per terrorem non potuerit subjugare, blandiendo subjugabit per munera. De inferno autem illum surgere, quem in prima bestia de abyssu diximus suscitatum verbo iræ, *aqua nutriet illum, & abyssus auxit illum*. Qui tantum licet & nomine imitato & habitu immutato veniat, ait spiritus: *Numerus enim hominis est: & numerus ejus sexcenti sexaginta sex*. Sic autem ex litteris græcis in compluribus inveniuntur numeri. *DCLXVI*. qui per septem capita, hoc est, septem regna sibi subdita, septem nominibus nuncupabitur, & octavum nomen habebit, quod supra diximus *Acxyme*: in quo nomine notam in manu & in fronte facturus est. Et hæc septem nomina caritati vestræ explanemus; id est, *Evantas*, (1) quod latine dicitur *serpens*, eo quod Evam primus deceperit. Secundum nomen habet *Damnatus*, eo quod magnum damnum intulit mundo. Tertium nomen habet *Antemus*, id est, *Abstemi*, à temeto, id est, vino, quasi abstinens à vino. Quartum nomen habet gothica lingua *Gen-sericus*. Quintum nomen habet omnium linguarum *Antichristus*. Sextum nomen habet græcè *Teitan*. (2) Septimum nomen habet latine *Diclux*. Quo nomine per antifrasin expressum intelligimus *Antichristum*: qui cum à luce superna privatus sit, atque abscisus, transfiguratur tamen se in Angelum lucis, præsumens se dicere lucem.

(1) Vide quæ circa hæc præmisimus in Proæmio, num. 51.

(2) Vide ibi, num. 50. & 55.

De eisdem nominibus.

I <i>Evantas</i>	DCLXVI.
II <i>Damnatus</i>	DCLXVI.
III <i>Antemus</i>	DCLXVI.
IV <i>Gensericus</i>	DCLXVI.
V <i>Antichristus</i>	DCLXVI.
VI <i>Teitan</i>	DCLXVI.
VII <i>Diclux</i>	DCLXVI.
VIII <i>Acxyme</i>	DCLXVI.

Hic est sapientia. Qui habet intellectum, computet numerum bestiae. Numerus enim hominis est; id est, Christi, cujus nomen sibi facit bestia. Quantum enim adtinet per singulas litteras hunc numerum nomenque explevit, interpretatumque sic: DCLXVI. (1) Cap. XIII
v. 18.

QUALITER COGNOSCATUR ANTICHRISTUS,
dum in toto mundo regnare cœperit.

ET datum est illi facere bellum cum sanctis, & vincere eos, & occidere eos: Vincet eos quos sibi consentientes invenerit: occidet eos, qui ei consentire noluerint. "Accepit autem potestatem in omnem tribum, & linguam, & gentem, & adoraverunt eum omnes inhabitantes super terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni, qui occisus est ante constitutionem mundi. Si quis habet aures audiendi, audiat. Quoniam qui in captivitatem" Cap. XIII
v. 7.

(1) *Laterculum prætermittimus, in quo Antichristi nomina atque litteræ distributæ cum numeris, sed insipienter, ut in Præfatione monuimus, num. 59.*

„ducit , in captivitatem vadit : qui gladio interficit,
 „gladio interficietur. Instituet enim terram , & eos qui
 „inhabitant in eam , ut adorent bestiam primam cu-
 „jus curata est plaga mortis ejus. Et faciet signa mag-
 „na , ut etiam ignem de cælo faciat descendere in ter-
 „ram coram hominibus , & seducet inhabitantes terram
 „propter signa quæ permissa sunt ei facere in cons-
 „pectu bestię : & præcipiet habitantibus terram , ut
 „faciant imaginem bestię , (sicut fecit Nabucodonosor)
 „& adorent eam omnes tribus & lingua : & datum
 „est illi , ut det spiritum imaginibus bestię , ut tam-
 „quam homo loquatur imago. Et faciet , ut quicum-
 „que non adoraverit ipsam imaginem , occidatur , &
 „tunc faciet tam omnes Principes terræ , quam etiam
 „pusillos , & servos , ac dominos , pauperes , ac di-
 „vites , ut accipiant characteres in manu dextra , aut
 „in frontibus : quia nemo poterit emere , aut vendere,
 „nisi qui habuerit notam aut nomen bestię. Hic est
 „sapientia.” Proinde Dominus noster Jesus Christus
 admonens Ecclesiam suam ait : *Orate , ne fiat fuga*
vestra hyeme , vel Sabbato , cum tempus Antichristi
 venerit , & Ecclesiam adeo persecutus fuerit , Sancti so-
 litudines & deserta sectentur. Et tunc fiet , tam omnes
 Principes terræ , quam etiam pusillos , dominos , &
 servos , divites , & pauperes , accipere characteres in
 manu dextra , aut in frontibus ; quia nemo poterit
 emere , aut vendere , nisi qui habuerit hunc caracte-
 rem ✠ & numerum nominis ejus *DCLXVI*. Proinde
 Dominus ait : *Orate , ne fiat fuga vestra hyeme , vel*
Sabbato. Tempore autem Antichristi Ecclesia fugitura
 est in solitudines Jerico , & Arabiæ , *sicut* qui fuerunt
 tempore Eliæ firmati. Antichristus enim cum venerit ,
 legem priscam & circumcisionem adnuntiabit : cogen-
 dum

III. q. 2.
 81. 7

Matth.
 24. v. 20.

dum est omne genus hominum Judaicæ legis observationem adtendere ; electi verò & Sancti spirituales, qui Antichristo non sunt credituri, fugient hanc persecutionem, & in solitudine morabuntur, sicut in hoc libro plenissime disputandum est : ideo monet Salvator orandum nobis est, ut in iugo persecutionis nostræ non sit hyeme vel Sabbato ipsa fuga. Si enim hyeme fuerit inquisitio nostra, ut comprehendamur à persecutoribus, humana fragilitas corporis frigus sustinere non poterit : ubicumque enim ad homines accedere volueris, frigoris injuriam declinans, continuo occupandus eris. Tale enim erit decretum Antichristi per universam terram, ut qui non habuerit hunc caracterem P in fronte, aut in manu dextra, comprehendatur, & ipsi præsentetur. Sancti verò, qui tunc solitudines montium & silvarum occulta sectabuntur, ad nullum hominem accessuri erunt, ne occupentur : & ideo dicit orandum nobis, ne fuga nostra hyeme fiat, & venti asperitate, & frigore, ab hominibus temporis illius comprehensi & occupati Antichristo præsentemur. Sabbatum autem observatio legis erit, quia non erat licitum in lege viam ambulare, aut aliquod opus facere servile. Si quis autem tempore Antichristi ambulantiem, aut aliquod facientem opus invenerit in Sabbato, velut legis prævaricator & transgressor præceptorum, offeretur Antichristo. Diximus enim Antichristum jussurum esse, ut Judaica lex à cunctis hominibus observetur, & veneretur, in tantum ut usque ad mortem vindicetur. Unde in Psalmis, prævidens futura, Propheta David orabat, dicens : *Ut destruas inimicum, & defensorem.* Ipse enim Antichristus, cum impurissimus sit, castitatem & sobrietatem prædicaturus est ; quia neque potator vini erit, neque

que ullum genus mulierum ad eum accessum amoris causa habebit : & per hoc populum seducet , & adversarius religionis , & vindicator legis erit , & ita inimicus Ecclesiæ , & defensor judaicæ legis apparebit. Verum si ad spiritualem intellectum referas : *Ora- te ne fiat fuga vestra hyeme , vel Sabbato : Hyeme* quod dicit , id est , ne fides tua refrigescat , ut ad gentilitatem revertaris. Sicut & Salvator dicit , quod illis diebus abundante iniquitate refrigescere habet fides multorum. *Sabbato* autem quod dicit , id est , ne frigescente fide in judaismum consentias , & ex præcepto Antichristi Sabbatum colas. Hæc præcepta Antichristi nullus evadere poterit , nisi qui Sanctam Trinitatem unum Deum crediderit , & in una Catholica atque Apostolica Ecclesia inventus fuerit , & paupertate Apostolica contentus nihil in hoc mundo præter Christum amaverit , & plus de tribulatione hujus sæculi quam de prosperitate gavisus fuerit , & tam Principes hujus sæculi , quam etiam amatores mundi tota mentis intentione evitaverit , & die noctuque in lege Domini meditatus fuerit , & in vita contemplativa & solitudine delectatus ; ceteros verò , quos carnales & amatores hujus sæculi invenerit , absque ulla reluctatione sub jugum suæ ditionis rapiet.

Matth.
24.v.12.

DE ANTICHRISTO QUALITER

Imperatorem tollat Romanum , & ipse
sumat Imperium.

Beatatus enim Augustinus , &c. (1)

IN-

(1) *Deest in Æmil. Cod. totum hoc caput , quod supra in fine Prologi ad lib. 2. præmissum ex integro , pag. 136. reperies.*

INCIPIT HISTORIA DE DECEM SIGNIS.

ET vidi, & ecce Agnus stans super montem Sion, Cap. XIV
 & cum eo centum quadraginta quatuor millia,
 habentes nomen ejus, & nomen patris ejus scriptum
 in frontibus eorum. Et audiui vocem de cælo, sicut
 vocem aquarum multarum, & sicut tonitruui magni.
 Et vocem quam audiui, sicut citharædorum cithari-
 zantium in citharis suis: & cantabant sicut canti-
 cum novum in conspectu throni, & in conspectu
 animalium, & in conspectu seniorum: & nemo po-
 terat discere canticum, nisi centum quadraginta
 quatuor millia qui empti sunt à terra. Hi sunt qui
 cum mulieribus inquinati non sunt. Virgines enim sunt.
 Hi secuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt
 ab hominibus ab initio Deo & Agno, & in ore eo-
 rum non est inventum mendacium: immaculati sunt.”
Explicit historia.

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ.

ET vidi, & ecce Agnus stans super montem Sion,
 & cum eo centum quadraginta quatuor millia, ha-
 bentes nomen ejus, & nomen patris ejus scriptum in
 frontibus eorum. Aperuit quæ sit imitatio notæ in fron-
 te, dum Deum & hominem Christum dicit scriptum in
 frontibus Ecclesiæ. Et audiui vocem de cælo, sicut
 vocem aquarum multarum; id est, centum quadra-
 ginta quatuor millia. Aquæ hoc loco Sancti sunt. Et
 sicut tonitruui magni: & vocem quam audiui, sicut
 citharædorum citharizantium in citharis suis: & can-
 ta-

tabant sicut canticum novum, in conspectu throni, & in conspectu animalium, & in conspectu seniorum; & nemo poterat discere canticum, nisi centum quadraginta quatuor millia. Non dixit, Nemo posset audire, aut dicere, sed discere. (1) Multi enim discunt semper discentes, numquam tamen ad scientiam veritatis pervenientes, nisi solum illa centum quadraginta quatuor millia, sicut dicit: Qui empti sunt à terra: hi sunt qui cum mulieribus inquinati non sunt; id est, mulieribus illicitis juncti non sunt. Qui enim licite mulieribus junguntur, non inquinantur. Masculos autem solos dixit, id est, fortes contra diabolum. Isti habent citharas in manu, id est, corda laudantium. Cithara enim corda extensa in ligno est. Per lignum crux intelligitur. Per cordam verò, caro in cruce afflicta, id est, in pœnitentia, pene mortua, ut Apostolus ait: Christo confixus sum cruci. Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus. Masculos diximus, sed in masculo significatur & femina, quæ illicito viro mixta non fuerit, & quia omnes in masculum generantur. Virgines enim sunt. Virgines omnes pœnitentes dicit, id est, castos & pudicos: sicut Apostolus omni Ecclesiæ scribit: Despondi sponsare vos uni viro Virginem Sanctam. Hi secuntur Agnum quocumque ierit. Numquid illi, pueri qui putantur, aut Virgines, Christum tantum secuntur quocumque duxerit? sed omnes, quos ad pœnitentiam vocaverit; sed hi empti sunt ab hominibus ab initio Deo & Agno. Ab Adam, ex quo justī de flammis sæculi redimuntur, etiam antequam Christus veniret,

re-

(1) Græco adhæret textui: Καὶ οὐδεὶς ἠδύνατο μαθεῖν: i. e. & nemo poterat discere.

redempti sunt, & multi ante adventum Domini misericordia liberati sunt, sicut tres pueros legimus de fornace ignis ardentis liberatos, & nunc sanguine suo mundo redempto, multi per ejus liberantur exemplum: plerique lapsi per culpam, redintegrantur per pœnitentiæ fructum, de quibus dicit: *Et in ore eorum non est inventum mendacium: immaculati sunt.* Non dixit, *non fuit in ore eorum mendacium*, sed *non est inventum*, sicut Apostolus dicit: *Et hæc quidem fuistis aliquando; sed lavati estis.* Et iniquitas justi non nocebit ei: qua die conversus fuerit ab iniquitate sua, & poterit esse virgo, & dolus in ore ejus non invenietur. Qualem Dominus enim invenerit cum vocat, talem pariter & judicat. Qualem verò in novissimo die invenerit, damnat aut coronat. Apertius Deus promittit non solum infantibus, sed omnibus recte credentibus, & recte in caritate & patientia viventibus, & digne pœnitentibus, non inveniri linguam mendacem, sicut dicit: *Et timebunt à facie Domini reliqui Jerusalem, & non facient iniquitatem, neque loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua dolosa.* Sicut de Domino scriptum est: *Peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus.* Peccatum non fecit, quia sine peccato vixit. Dolus in eo non est inventus, quia neque Ecclesia dolum habuit, quam induit: quia si Ecclesia sine dolo est, Christi vestimentum est. Quod si dolum habet in lingua, Ecclesia non est, quia in mendacio est. Ecclesia verò sine mendacio est, quia in caritate est, & in lumine manet, & Deus in illa manet. Sicut Apostolus Christum dicit peccatum non fecisse, id est, nostra peccata non habuisse, ipsa in eo inventa non sunt. Nam sine ista separatione superfluum est, ut credamus

Dan. 3.
v. 49.

1. Cor. 6.
v. 11.

Sophon. 3
v. 13.

1. Petr. 2.
v. 22.

2. Cor. 5.
v. 21.

Christum peccatum fecisse. Peccatum non fecit, dolus non est in eo inventus: quod est peccatum, hoc dolus. Hic est *Agnus* mansuetus, & sine dolo, *stans super montem Sion*. Stare super montem, id est, Ecclesiam, dicitur: quia surgere nos, & excitari ad poenitentiam, cohortatur. (1) Stare enim pugnantis est. Et bene stare dicitur, qui cum bestia in pugna certare perhibetur. Pro peregrinatione autem præsantis sæculi Ecclesia Sion dicitur, eo quod ab hujus peregrinationis longitudine posita, promissionem rerum cælestium speculetur. Et propterea Sion speculationis nomen accepit, quia corporaliter terrena deserens, spiritu & mente in contemplatione perseverans, semper ad superiora tendit. Hic verò Sion dicitur, & in futuro Jerusalem cælestis nuncupatur. Quamvis & in hoc

Galat. 4. v. 26. sæculo Ecclesia Jerusalem dicatur. Sed ista Jerusalem servit cum filiis suis: illa autem, quæ sursum est, libera est, quæ est mater omnium nostrorum. De ista dicitur: *Jerusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt.* De illa Jerusalem dictum est: *Lætare sterilis quæ non paris, quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum.* Jerusalem verò latine visio pacis interpretatur. Ergo Ecclesia hic pacem habere non potest, quia in certamine persecutionis est. In ista Jerusalem cum bestia commoratur, & pseudopropheta hic habet pacem, quia pro futura non laborat. Ista Jerusalem est sub pedibus mulieris, quæ lapidat Prophetas, & occidit eos qui ad illam mittuntur. In ista Jerusalem per membra crucifigitur, & Agnus quotidie immolatur. Quia pacem in hoc mundo habere non potest qui quotidie patitur. Pro futura vero pace

Je-

(1) Ita Codex Æmil. Burgensis, coartat.

Jerusalem hic Ecclesia, quæ est mons Sion, cum Agno speculatur, ut quandoque consummato labore in illa cum ceteris victoribus copuletur. Ibi enim absorta, id est, devorata omni adversitate, pacem, quæ est Christus, præsentì possidebit obtutu. Hic facit finem, & recapitulat à tempore persecutionum in Africa gestarum.

Explicit liber sextus.



INCIPIT LIBER SEPTIMUS,

ET HISTORIA EJUSDEM.

“**E**T vidi alium Angelum volantem in medio cælo, Cap. XIV
v. 6.
 „habentem Evangelium æternum, ut evangeliza-
 „ret habitantibus in terra, & in omni gente, & tribu,
 „& lingua, & populo, dicens: Timete Dominum, &
 „date claritatem ei, quoniam venit dies judicii ejus: &
 „adorate eum qui fecit cælum & terram, mare & fontes
 „aquarum. Et Angelus secundus secutus est, dicens:
 „Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quia de vino
 „fornicationis ejus biberunt omnes gentes. Et Angelus
 „tertius secutus est eos, dicens in voce magna: Si quis
 „adorat bestiam, & simulacrum ejus, & acceperit no-
 „tam in fronte sua, aut in dextera sua; & ipse bibet
 „ex vino iræ Dei mixti meri in poculo ejus, & crucia-
 „bitur igne & sulphure in conspectu Angelorum Sanc-
 „torum, & in conspectu Agni: & fumus de tormentis
 „eorum in sæcula sæculorum ascendet: & non habebunt
 „requiem die ac nocte qui adorant bestiam, & simula-
 „crum ejus, & si quis accipit notam nominis ejus. Hic
 „sustinentia Sanctorum est, qui servant mandata Dei &

»fidem Jesu. Et audiui vocem de cælo dicentem : Scri-
 »be : Beati mortui , qui in Christo moriuntur. Amodo
 »etiam dicit spiritus ut requiescant à laboribus suis,
 »opera enim illorum sancta sequuntur cum eis.

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET vidi , inquit , *alium Angelum volantem in medio cælo*. Angelus nuntius dicitur : Cælum Ecclesia est. *Angelum volantem in medio cælo* ; id est , prædicationem Ecclesiæ per omnem mundum discurrentem. *Habentem Evangelium æternum , ut evangelizaret habitantibus in terra , & in omni gente , & tribu , & lingua , & populo , dicens : Timete Dominum*. Non dixit *habentem Evangelium , & prædicantem in omni gente dicentem* ; sed *ut prædicaret , dicens* , (Adhuc enim uno in loco in Africa fit) : ut notum sit quid in omni gente fiat. Ecclesia , quæ in parte prædicat in Africa , ea ratione in omni gente sic prædicet , cum è medio istius sæculi Babylonis exierit : prædicavit , & dixit : *Timete Dominum , & date ei claritatem , quoniam venit dies judicii ejus , & adorete eum qui fecit cælum & terram , mare & fontes aquarum*. Et Angelus secundus secutus est , dicens. Angelus secundus futura prædicatio est , cum aperuerit prophetia os suum in futura pace ad prædicandum. *Cecidit , cecidit Babylon illa magna*. Babylonem , civitatem diaboli dicit : Civitas diaboli populus ejus est , & omnis corruptela & opera nequitiae quam in persecutionem sui & humani generis exquirat. Nam sicut civitas Dei Ecclesia est , ita è contrario civitas diaboli ista Jerusalem est , quam supra diximus , & Babylon , eo quod in hoc mundo in pace confusionis versetur. Sicut Dominus dicit : *Ecce pono*

Je-

Ierusalem lapidem conculcabilem in omnibus gentibus.

Et cum per Isaiam de ruina Babylonis loqueretur, ita dicit: *Hæc est cogitatio, quam cogitavit Dominus su-*

*Isai. 14.
v. 26.*

per totum orbem terræ. Et cum Zacharias totius mundi injustitiam videret, dictum est illi: Quod in Babylone haberet sedem, id est, in populo diaboli. Cujus interitum instare videns nostra Ecclesia clamat: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna.* Duobus modis repetit, quia duobus modis cadit cum à Christo & Ecclesia discedit.

*Zach. 2.
v. 7.*

Pro perfecto dicit quod adhuc futurum est: sicut antequam Christum crucifigerent, dictum est: *Diviserunt*

*Psal. 21.
v. 19.*

sibi vestimenta mea; quasi jam factum dicebat, quod

adhuc futurum in Christo erat, & quod nunc completum videmus. Ita intelligendum est nunc de Babylonia,

quod est mundus iste: jam in conspectu Dei damnata est, quod perspicue in futuro damnata erit. Sed in initio ruinæ Babylonis perspicue videmus pacem futuram

dejecto schismate, & dejectionem per orbem celebratam.

Quia de vino fornicationis ejus biberunt omnes gentes. Cum hæc civitas quæ putatur, ipsa biberit ex vino

fornicationis omnium gentium (sic enim condita est) jam corruptæ fuerant omnes gentes fornicatione & omni

immunditia, & usquemodo sunt multæ gentes quæ non

sunt ipsius Babylonicæ potestatis. Hic unam rem duobus modis dividit obscurandæ rei causa. Unde manifestum est, quod omnes gentes sint ipsa civitas, quæ

bibit ex vino fornicationis, id est, omni opere immunditiæ & iniquitatis. *Et Angelus tertius secutus est eos*

dicens in voce magna: Si quis adorat bestiam & simulacrum ejus. Hæc est novissimæ persecutionis prædicationis; id est, tempore Antichristi brevitate temporis secuta. *Bestiam & simulacrum ejus adorat;* id est, diabolus & populum ejus, & caput velut occisum, id est,

Sacerdotes sub Christi nomine intra Ecclesiam diabolo deservientes. *Et acceperit notam in fronte sua; & ipse bibet ex vino iræ Dei mixti meri in poculo iræ ejus.* Dum dicit *& ipse bibet*, ostendit esse alium qui biberit: & quia duos populos diximus, diaboli unum foras Ecclesiam qui sunt infideles & gentiles; alterum intra Ecclesiam, qui solo nomine sunt Christiani, in opere verò non dissentiunt à gentilibus; pro hoc dicit, *& ipse bibet ex vino iræ Dei.* Dixerat enim ex vino fornicationis bibisse omnes gentes: & ne separaret eum, qui licet gentibus visibiliter non miscetur, eamdem tamen bestiam sub Christi nomine adorat, *& ipse*, inquit, *bibet iram Dei.* *Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum, & in conspectu Agni, & fumus de tormentis eorum in sæcula sæculorum ascendet.* *Et non habent requiem die ac nocte qui adorant bestiam & simulacrum ejus, & si quis accipit notam nominis ejus.* Hic ostendit omnes omnino dixisse, tam vivos quam mortuos. Cum autem dicit, *qui adorat bestiam, cruciabitur igne & sulphure*, vivos dicit. Cum verò dicit *salire fumum de tormentis eorum, & non habere requiem die ac nocte*, mortuos insinuat. *Hic patientia Sanctorum est, qui servant mandata Dei, & fidem Jesu.* Patientiam dixit Sanctorum, id est, non accipere notam simulacri bestię, sed notam ipsius veritatis Agni; & neque adorent simulacrum, sed verum Christum. Erit enim tunc temporis Antichristi pressura magna, qualis numquam fuit ab initio mundi: in qua pressura patientiã & fide opus est servantibus præcepta Dei, & fidem Christi. *Et audiivi vocem de cælo dicentem: Scribe: Beati mortui qui in Christo moriuntur.* In hoc loco omnes Sanctos dicit, tam viventes, quam etiam sepultos. Cum enim dicit *beati mortui*, sepultos

dicit : cum verò dicit , *qui in Christo moriuntur* , vi-
 ventes ostendit , qui in cinere & cilicio versantur. Om-
 ne tempus inclusit *in Christo* , dicens : Qui mortui sunt,
 & moriuntur plane in Christo. *Amodo etiam dicit spi-*
ritus , ut requiescant à laboribus suis : opera enim
illorum sancta sequuntur cum eis : amodo , ex quo
 dormierunt , vel resurrexerunt. Quia de fine ipsius per-
 secutionis Antichristi loquutus est. Hic facit finem , &
 recapitulat à tempore pacis futuræ. *Explicit.*

INCIPIT HISTORIA DE NUBE ALBA & de filio hominis in libro VII.

“**E**T vidi , & ecce nubem albam : & super nu- Cap. XIV
 ”bem similem filio hominis , habentem in capi- v. 14.
 ”te suo coronam auream , & in manu sua habebat
 ”falcem acutam. Et Angelus exiit de templo clamans
 ”voce magna sedenti super nubem : Mitte falcem
 ”tuam , & mete , quoniam venit hora metendi , quoniam
 ”matura facta est messis terræ. Et misit sedens super
 ”nubem falcem suam in terram , & messa est terra. Et
 ”alius Angelus exivit de templo quod est in cælo , &
 ”ipse habens falcem acutam. Et alius Angelus exivit
 ”de ara habens potestatem super ignem : & clama-
 ”vit voce magna habenti falcem acutam dicens : Mit-
 ”te falcem tuam acutam , & vindemia botros vineæ
 ”terræ , quoniam maturæ sunt uvæ ejus. Et misit An-
 ”gelus falcem suam in terram , & vindemiavit vineam
 ”terræ , & misit in torcular iræ Dei illum magnum:
 ”& calcatum est torcular extra civitatem : & exiit
 ”sanguis de torculari usque ad frænos equorum per
 ”stadia mille sexcenta.”

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET vidi, & ecce nubem albam; & super nubem similem filio hominis. Nubem albam, Ecclesiam dicit in claritate patientiæ suæ fulgentem. Filium hominis, Christum dicit, qui suæ Ecclesiæ possessor est. Hæc nubes alba modò clarescet in passione, sed præcipue post persecutionum flammæ in resurrectione albescet, cum conjuncta cum capite fuerit: *Habens in capite suo coronam auream*. Ipsi sunt viginti quatuor seniores cum coronis aureis. *Et in manu sua habebat falcem acutam*, id est, in opere suo potestatem maledictionis. Ipsa est enim falx, de qua dicit Angelus

Zach. 5. v. 3. Zachariæ: *Hæc est maledictio, quæ exiit in faciem totius terræ: propter quod omnis fur ex hac usque ad mortem pœnas luet: & omnis perjurus ex hac usque ad mortem pœnas luet.* Non enim fur, & perjurus gravius omnibus peccant, ut solos damnari diceret; sed fur, & perjurus hypocritæ sunt: id est, illi Sacerdotes quos in bestia caput velut occisum diximus. Sicut Dominus dicit: *Qui non intrat per januam, quod est Christus, sed ascendit per aliam partem, fur est & latro.* Et iterum: *Qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed mentiuntur.* Et de

Joan. 10. v. 1. Sanctis hic dictum est: *Intrabunt in Deum verum vivum.* Omnis, inquit, fur, & omnis perjurus, ut ostenderet non unum genus esse furti, neque perjurii.

Apoc. 2. v. 9. Et alius Angelus exiit de templo clamans in voce magna sedenti super nubem: *Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora metendi, quoniam matura facta est messis terræ;* id est, consummata sunt peccata. Angelus de templo clamans tamquam filio hominis,

nis, modò est in Ecclesia Imperium Domini. Angelus nuntius est prædicationis: templum Ecclesia est; Filius hominis Christus est. Qui non perspicua voce clamat, sed suggestione Spiritus Sancti, qui operatur in suo corpore, id est, in Ecclesia, dicens, jam tempus esse malorum anathematizandorum, id est, discessionis faciendæ, & inimicorum persecutione tolerata penitus auferendorum; id est, desiderat Ecclesia diem iudicii esse, & à malis omnibus separari. *Et misit sedens super nubem falcem suam in terram, & messa est terra*: utique spiritualiter dicit, quia cum Ecclesia à malis persequuta est, & patienter injurias suffert, tunc illi superantur, tunc & inimicos premere dicitur. Quoniam cum Ecclesia traditur inimicis emendanda, ipsi inimici torquentur. *Et alius Angelus exiit de templo, quod est in cælo*. Et quia Angelum nuntium diximus, & cælum & templum Ecclesiam; alius Angelus, quem dixit exire de templo, alia est prædicatio de Ecclesia. Prima enim discessionis est, & inchoatio persecutionis: alia verò à persequentibus. *Et ipse habens falcem acutam*, id est, eandem potestatem. Hi duo Angeli unum, & una potestas. *Et alius Angelus exiit de ara*. Eadem jussio Domini est de Ecclesia. *Habens potestatem super ignem*; quem ignem diversis modis significat. Ipse est iste ignis quem supra diximus, ex ore testium exiisse, id est, verbum prædicationis: ipse est enim falx: ipse gladius: ipse sermo qui exiit ex ore Ecclesiæ. *Et clamavit voce magna habenti falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt uvæ ejus. Et misit Angelus falcem suam in terram & vindemiavit vineam terræ*. Frequenter diximus Angelum nuntium esse, id est,

Ecclesiæ prædicationem, cui dedit Christus potestatem præsentia & futura ordinare, & providere. In *messe & vindemia*, populum dicimus, qui modò non torquentur per pœnitentiam; illic verò sine dubio torquebuntur in gehenna. Qui habet falcem messoriam, ipse habet & vindemiatoriam; & qui dixit messori *mete*, ipse & vindemiatori *vindemia*: unum est enim, & uno tempore fiet, id est, tempore Antichristi, quando gravis pressura erit, & inchoatam pressuram non relaxabit quousque finiatur in morte. In messe & vindemia initium & finem ostendit unius pressuræ. Si autem sic est putandum quod aperte & specialiter Christus visus est in nube alba, ut supra diximus; messor ergo quis est, aut post eum quis est vindemiator? Nullus alius nisi ipse Christus. Et non specialiter, sed in suo corpore, quod est Ecclesia, cui dedit hanc potestatem ligandi & solvendi, ut faciat per Christum quod voluerit. Quod & Daniel vidit in hac vita nubem à

Dan. 7.
v. 13. 14. Christi credulitate deferri, & accipere regiam potestatem & omnem gentem terræ secundum quamque nationem. *Et misit in torcular illum magnum iræ Dei.* Quid est magnum dici, nisi superbum? Nullum peccatum est majus quam superbia. Non torcular in magnum, sed illud magnum misit in torcular, id est, unumquemque superbum. Quod aperte hoc dictum est secundum sermonem græcum, quo torcular feminini generis nuncupavit, & magnum masculini dixit. Hoc torcular est retributio cujusque peccati, quod unusquisque in corpore gessit. *Et calcatur extra civitatem.* Hæc civitas Ecclesia est. Cum enim facta fuerit separatio inter malos & bonos, & reddiderit Christus unicuique secundum opera sua; tunc & torcular calcatur extra civitatem, id est, extra Ecclesiam. Facta

dis-

discessionē foris erit omnis homo peccati. *Calcatio autem torcularis, retributio est peccatorum, sicut dicit Jeremias, excissa Jerusalem, lacum calcabit Dominus virgini filiæ Sion.* Per Joel verò ad hanc novissimam vindemiam, torcularis & calcationem, peccatorumque plenitudinem, sic suos pugnatores Deus hortatur, dicens: *Clamate hæc in gentibus, sanctificate bellum, excitare pugnatores: concidite aratra vestra in gladios, & falces vestras in lanceas. Qui impotens est, dicat: Quoniam valeo ego. Congregamini, & intrate omnes gentes in circuitu, & colligimini illic. Qui mansuetus est, sit pugnator. Exurgant & ascendant omnes gentes in vallem Josaphat, id est, in Ecclesiam: propter quod ibi sedebo judicare omnes gentes in circuitu. Mittite falces, quoniam adest vindemia. Intrate, calcate, quoniam plenum est torcular, superflundunt lacus, quoniam repleta sunt omnia mala eorum. Soni sonuerunt in valle judicii, quoniam prope est dies Domini. Sol & Luna contenebrescent, & astra occident fulgorem suum. Deus autem ex Sion exclamabit, & de Jerusalem dabit vocem suam, & tremescet cælum & terra. Deus autem parcat populo suo, & confortabit Dominus filios Israel: & cognoscetis quoniam ego sum Dominus Deus vester, habitans in Sion in monte sancto meo.* Hæc omnia & hodie spiritualiter in Ecclesia geruntur, quæ adhuc perspicue in diem judicii futura creduntur. Et qui in torcular iræ furoris Domini mitti creduntur, jam hic in opere præparantur: omnes qui sæculo servire cupiunt, & carnis suæ curam facere delectantur, uxores ducunt, & alias ducere desiderant. En non Deum diligunt, quem diligere debuerant, sed pro terrenis lucris desudant. Quid aliud nisi bellatores & pugnatores excitant? Qui hæc faciunt, aratra & falces

*Thren. 1.
v. 15.*

*Joel. 3.
v. 9.*

concidunt, & gladios ad bellandum componunt. Et qui hæc in hoc mundo adcumulant, quid faciunt, nisi bella denuntiant, & Christum & Ecclesiam sibi ad pugnam excitant? Sancti verò hæc prævidentes, nuptias incontinentibus cum benedictione prædicant: Viduas & continentes ad munditiam castitatis exhortantur, & admonent ut in melius crescendo proficiant: virginibus suadendo, ne nuptiis jungantur elaborant. Quid isti aliud denuntiant, nisi pacem, cum gladios concidunt, & aratra vel falces faciunt? Cum gladius frangitur, & vomer, & falx fit, non pugna, sed pax esse sentitur. Et cum vomer & falx frangitur, & gladius fit, non pax, sed pugna futura speratur: & non cum eo adveniet qui cum viginti millibus venturus est, sed cum decem millibus inermis esse credatur; & à Sanctis in futuro se dupliciter calcari in torculari iræ furoris non dubitetur. Sicut scriptum est de his per Babyloniam in hoc libro: *Reddite illi sicut & ipsa vobis reddidit, & duplate dupla secundum opera ejus. Recipiunt à nobis in futuro dupla, cum nos hic disponunt per mortem occidere simplam: conculcantur autem à nobis, cum ipsi nos inculcant. Sed nobis sanguinem fundentibus, ipsi moriuntur. Sic enim scriptum est, illum pati qui facit. Ponam, inquit, Jerusalem in omnibus gentibus lapidem conculcabilem: Omnis qui conculcaverit eam, inludens inludetur.*

Luc. 14.
v. 31.

Apoc. 18.
v. 6.

Zach. 12.
v. 3. 12.

Et exit sanguis de torculari usque ad frænos equorum. Et quid hoc loco equi, nisi Principes & Rectores mundi sunt, quia per eos diabolus operum suorum nequitiam velociori cursu exercendo discurrit. Bene ergo dicitur: *Exiit sanguis de torculari usque ad frænos equorum*; id est, exiet damnationis ultio usque ad rectores populorum, usque enim ad diabolum, & ejus

ejus Angelos, id est, homines malos. In novissimo vero certamine in diem iudicii exiet ultio sanguinis effusi, sicut ante prædictum est: In sanguine peccasti, & sanguis te persequitur. *Per stadia T D C.* id est, per quatuor mundi partes: quaternitas est enim cum quaternitate, sicut in quatuor faciebus quadriformibus & rotis. Quater enim quadringenti fiunt mille sexcenti.

INCIPIT HISTORIA SEPTEM ANGELORUM.

Recapitulat persecutionem descripturus, dicens:

“**E**T vidi aliud signum in cælo magnum & mirabile, Cap. XV.
 „Angelos septem, habentes plagas septem novissimas, quoniam in ipsis finita est ira Dei. Et vidi
 „sicut mare vitreum permixtum igne, & victores bestię,
 „& simulacri ejus, & numeri nominis ejus, stantes super mare vitreum, & habentes citharas Dei; & cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum Agni,
 „dicentes: Magna & mirabilia opera tua Domine Deus omnipotens Deus: justę & verę sunt vię tuę, Rex gentium. Quis non timeat & clarificet nomen tuum,
 „qui solus es sanctus? quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conspectu tuo, quoniam justificationes
 „tuę manifestę sunt.”

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptę historię.

ET vidi aliud signum in cælo magnum & mirabile, Angelos septem. Septem Angeli, septem Ecclesię sunt, quod est una Ecclesia. Semper enim Ecclesia in pœnitentia est, & plagas populo contuma-

ma-

maci prædicare non cessat. *Habentes plagas septem novissimas : quoniam in ipsis finita est ira Dei.* Novissimas plagas dixit, quia semper ira Dei percutit populum contumacem. Septem plagas quas dicit, perfectum numerum ostendit. Scriptura enim Sacra aliquando septem pro perfecto numero ponere consuevit. Sicut idem Deus in Levitico frequenter repetit, dicens : *Percutiam vos septem plagis.* Quæ novissimæ futuræ sunt cum Ecclesia de medio ejus exierit. Septem autem spiritualiter proposuit de septem Angelis. Et quia septem Angelos septem Ecclesias diximus, quas unam esse credimus, has septem plagas spirituales esse cognoscimus : per quas septem vitia impugnare genus humanum non dubitamus. Et, ut frequenter facit, aliud subjicit, & plagas quas dixerat repetit. His omnibus tamen plagis explicitis ad propositum redit : *Et vidi sicut mare vitreum*, id est, fontem baptismi perlucidum. *Permixtum igne*, id est, spiritu vel tentatione : ignis enim aliquando Spiritus Sanctus intelligitur ; aliquando tentatio tribulationis. Spiritus Sanctus intelligitur, sicut dicit : *Ignem veni mittere in terram.* Ignis tentatio dicitur, ut Apostolus ait : (1) *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis ;* & Psalmista ait : *Exarserunt in me sicut ignis in spinis.* Quia per flammam detrahentium non justorum vita comburitur ; sed, si quæ eis inesse poterant peccatorum spinæ, concremantur. Bene ergo dicitur mare vitreum permixtum igne, id est, baptismus permixtus Christi passione. Quia non solum in aqua, sed & in morte ipsius baptizari præcipimur, per cujus mortem & sanguinem diabolus superare pos-

Levit. 26
v. 28.

Luc. 12.
v. 9.

Eccli. 27
v. 6.

Ps. 117.
v. 12.

(1) Verba sunt Ecclesiastici loco citato.

possimus. Sicut dicit de hoc permixto igne : *Et victores bestiae & simulacri ejus , & numeri nominis ejus , stantes super mare vitreum.* Mare vitreum dicit , & repetit ; vitrum enim perlucidum est , sed cito frangitur : ita & homo cum in Christo baptizatur , ab omni sorde peccati lavatur : & tamquam vitrum perlucidum , ita à Sanctis Angelis conspicitur : sed cum per tempus vita praelongatur , dicto , facto , vel cogitatu semper foedatur : & tunc non Christi , cujus baptisma suscepit , sed bestiae membrum esse dignoscitur , & notam nominis ejus habere non dubitatur. Cum verò gratuita miseratione afflatus fuerit Spiritus Sancti gratia , & reversus ad poenitentiam coeperit deplorare praeterita ; tunc creditur effugisse bestiam , & copulatus esse in Christi corporis membra , & tunc demum requirere quod primum perdiderat sanctitatis baptisma : & non in peccato jacens dicitur , sed stans super mare vitreum , sicut dicit : *Habentes citharas Dei.* In cithara chorda est extorta , & in ligno extensa. In ligno crucem , in chorda carnem extensam in poenitentiam : illa enim chorda dulcem sonum excutit , quæ in ligno crucis extenta omnes in caritate conjungit. *Et cantantes canticum Moysi servi Dei , & canticum Agni.* Post transitum rubri maris cantat canticum populus Deo , Egyptiis & Pharaone submersis. Non aliter & fideles postquam de lavacro exeunt , extinctis peccatis , hymnis in vocem gratulationis erumpunt , dicentes : *Cantemus Domino , gloriose enim honorificatus est : equum & ascensorem projecit in mare.* Quod tamen melius & dignius ille dicit , qui habuerit timpanum in manu sua , sicut Maria , id est , carnem suam crucifixerit cum vitiis & concupiscentiis , & mortificaverit membra sua , quæ sunt super terram.

Exod. 15

Vers. 20.

Jam dehinc dicitur, post maris transitum populus per desertum baptizati, scilicet, & omnes per mundum non fruentes promissa patria, sed quod non vident sperando, per patientiam expectando, tamquam in deserto sunt, & illic laboriosæ & periculosæ tentationis, ne revertantur corde in Ægypto, nec ibi tandem Christus deserit: nam ibi illa columna non recedit, unde & jugiter clamant dicentes: *Magna & mirabilia opera tua Domine Deus omnipotens: justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex gentium. Quis non timeat & clarificet nomen tuum, qui solus es Rex Sanctus? quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo, quoniam justificationes tuæ manifestæ sunt.* Hæc enim sunt in utroque testamento quæ cantant supradicti, qui super mare vitreum, & igne mixtum sunt positi. Repetit quod proposuerat dicens. *Explicit.*

INCIPIT HISTORIA TEMPLI APERTI, & de eisdem phialis Angelorum.

Cap.XV. **P**ost hæc vidi, & apertum est templum tabernaculi testimonii in cælo: Et exierunt septem „Angeli, qui habent septem plagas, de templo, induti „linum mundum splendidum, & cincti super pectora „sua zonas aureas. Et unum ex quatuor animalibus „dit septem Angelis septem phialas aureas, plenas ira „Dei viventis in sæcula sæculorum. Et impletum est „templum Dei fumo claritatis Dei, & virtute ejus. Et „nemo poterat intrare in templum, quousque finiuntur „septem plagæ septem Angelorum.” *Explicit historia.*

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ.

Post hæc vidi, & apertum est templum tabernaculi testimonii in cælo. Jam supra manifestatum est, qui sint templum tabernaculi testimonii in cælo. Et exierunt septem Angeli, qui habent septem plagas, de templo. Illi enim de quibus dicit exituros, non habent discessionem. Describit ergo, & aperitur, qui sint templum cæleste. Exitus iste jussio est, & prædicatio Evangelii, & manifestatio intra Ecclesiam, qui sunt boni, & qui mali. Apertum est templum, & exierunt Angeli, habentes plagas, de templo. Templum apertum, & tabernaculum, & cælum, hoc totum una Ecclesia & una jussio est. Et septem Angeli ipsum est quod templum. Templum exiit de templo, quoniam manifestatum est quod sit verum templum. Exitus iste septem Angelorum non perspicue est, sed solo nomine intelligendus est. Exitum autem pro locis intelligimus. Supra enim diximus, Angelum exiisse de templo, & clamasse sedenti super nubem: *Mitte falcem, & vindemia*: hic dicit *exierunt septem Angeli de templo*: hoc totum unum est: & prædicatio Ecclesiæ est, & imperium Domini, & jussio illius iste exitus est. Sicut Evangelista dicit: *Exiit edictum à Cæsare Augusto* censi omnem Judæam. Aliquando enim exitus nativitas est, sicut scriptum est: *Exiet virga de radice Jesse*. Et iterum: *Ex te exiet dux, qui regat populum meum Israel*. Et aliquando exitus perspicuus est, ut illud: *Exiit Lot de Sodomis*. Quod & nunc describit in exitu Angelorum. *Induti linum mundum splendidum, & cincti super pectora sua zonas aureas.*

Luc. 2.

Isai. 11.

v. 1.

Mich. 5.

v. 2.

Gen. 19.

Manifestius ostendit, in septem Angelis septem Ecclesias esse. Sic namque in initio libri in Christo descripsimus habentem zonam auream super ubera, ut credas hoc unum esse. Zona aurea est Chorus Sanctorum, ut aurum igne probatum in quo est conflata conscientia & purus spiritualis sensus. Hæc zona tradita est Ecclesiis, eo quod hinc inde Testamenta utraque complectitur. *Et unus ex quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas ira Dei viventis in sæcula sæculorum.* Istæ sunt phialæ quas supra diximus cum odoribus portare seniores. Septem phialæ, & septem Angeli, & septem tubæ, & quatuor animalia, hoc totum unum est, & una Ecclesia est. Et verbum prædicationis, & ira Dei, & ignis, qui exiit ex ore testium, hoc totum unum est, & una jussio est, & una prædicatio est. Et quod sunt odoramenta, hoc est ira Dei. Orationes enim Sanctorum, quæ sunt ignis exiens ex ore testium, ira sunt mundo per legem & Evangelium prædicato. Unus ex animalibus dedit Ecclesiæ phialas, id est, Evangelium. Quod sunt quatuor animalia, hoc & unum, & quod est unum, hoc & quatuor. Evangelium autem voluntas est Dei, quæ completa voluntate dat Ecclesiæ hanc potestatem. *Et impletum est templum Dei fumo claritatis Dei, & virtute ejus.* Utique illud templum, quod supra diximus exiisse de templo. Fumus enim claritatis Dei, orationes sunt Sanctorum, ex quibus odor suavitatis Dei ascendet, & virtutum opera in Ecclesia clarescent. *Et nemo poterat intrare in templum, quousque finientur septem plagæ septem Angelorum.* Nemo, quis est alius nisi hypocritæ, & pseudosacerdotes, & schismatici? Nemo ex his poterit intrare templum, id est, Ecclesiam Domini, quia erit pressura magna tempore Antichris-

christi, qualis non fuit ex quo gentes esse cœperunt. Quia non liberaretur omnis caro, nisi Deus propter electos suos breviasset dies illos. Hic facit finem, & recapitulat easdem plagas plenius dicturus. *Explicit liber septimus.*



INCIPIT LIBER OCTAVUS, ET HISTORIA DE PHIALIS.

“**E**T audiui vocem magnam, dicentem septem Angelis : Ite, effundite phialas Dei in terram. Et abiit primus Angelus, & effudit phialam suam in terram, & factum est ulcus malum, & sævum super homines habentes nomen bestię, & adorantes simulacrum ejus. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis sicut mortui, & omnis anima vivens mortua est in mari.” *Explicit historia.*

Cap. XVI

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptę historię.

ET audiui vocem de cœlo magnam, dicentem septem Angelis : Ite, effundite phialas Dei in terram. Data potestas est Ecclesię, ut ira perfundat terram de qua exiit. Jam supra diximus septem Angelos, septem Ecclesias esse, quod est una. Septem phialas, prædicatio est Evangelii, quam Dominus per prædicatores suos sive gloriam, sive supplicia mundo denuntiat. Istę sunt phialę quas Angeli ferunt, quas supra diximus plenas odoramentorum. Istę phialę ipsa est illa rota intra ro-

tam, id est, Evangelium intra legem, quam in quatuor animalibus supra in tertio libro exposuimus. Quæ habet in se staturam, id est, [præcepta] ut quiescant à perverso opere: habet horribilem aspectum, qui est terror gehennæ, qui sine fine reprobos cruciat: habet altitudinem, id est, gloriam repromissionis æternæ. Est ergo hæc rota in præceptis stans, alta in promissionibus, horribilis in minis. Est ergo hæc rota tenebrosa aqua in nubibus aëris, quia obscura est scientia in Prophetis. Per hanc rotam nubes transeunt, & pluviam in terram sterilem effundunt, id est, prædicatores sancti in Ecclesia phialas effundunt. Qui plus intelligunt, phialas effundunt: & qui minus intelligunt, ciatos effundunt. Ibi gloriam & iram Dei denuntiant: & hæc spiritualis plaga est quam porro docti considerant: & non aperte, sed spiritualiter hæc plaga Ecclesiam devastat: non perspicue ut fames corporalis sit, sed spiritualis fames est, cum hæc scriptura ab omnibus legi & audiri potest, sed porro à doctis intelligi potest. Clausa sunt verba, & in allegotarum obscuritate tenebrosa, sicut

Sup. c. 10
v. 4. in hoc libro scriptum est: *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & ne ea scripseris.* Et Danieli dictum est:

Dan. 12.
v. 4. *Claude sermonem, & signa librum.* Cum hoc ita est, à multis legitur, & auditur, sed porro à doctis & paucis Spiritu Sancto revelante intelligitur, & non carnalibus, sed spiritalibus contemplativis revelatur. In malivolam enim animam non ingreditur sapientia. Tanta obscuritas est mysteriorum, ut nisi tegmen litteræ relin-

2. Cor. 2.
v. 6. quas, non intelligas. Littera enim occidit: sensus vivificat. Ut beatus Hieronymus ait, alii litteras aucupentur & syllabas, tu quære sententias. Sententiæ à sentiendo in bono semper nomen acceperunt. Hæretici verò, & hypocritæ, & schismatici, & superstitiosi, &

carnales Sacerdotes, non sententias quærunt, sed magis litteram sequuntur. De ipsis dictum est: Sequentes occidentem litteram, & non spiritum vivificantem. Hinc Dominus per Job ait ad Eliu: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Carnales enim superbi, ut sapientes esse videantur, sine ratione semper sententias involvunt, dum captando laudem ab hominibus habere quærunt: & cum hunc librum non intelligunt, arrogantes contra Ecclesiam surgunt: & diversi diversa intelligendo, in hæresim prolabuntur: & diversa sentientes, ignaras mentes in confusionem trahunt. Et cum sint carnales populum carnalem inludunt, & hæc sibi vindicando Ecclesiam premunt. Benè ergo dictum est Danieli: *Claude sermonem, & signa librum usque ad tempus statutum: pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.* Qui Danieli multiplicem revelaverat veritatem, veritatem ipse occultans, signans quæ locutus est, præcepit, ut involvat sermones, & signet librum, ut legant plurimi, & quærant historiæ veritatem, & propter obscuritatis magnitudinem diversa suspicentur. Quod enim ait, *pertransibunt plurimi*, id est, percurrent plurimi legendo libros. Solemus enim dicere: *Percurri librum, & totum legi, & transivi historiam*: Tamquam cæcus si diceret: *Iter ambulavi, sed nec cælum, nec terram vidi.* Quid enim prodest multa scire, & nulla intelligere? Sapientia Salomonis quotidie in Ecclesia legitur: sed super malam mulierem in inferno mittitur. Signatus est liber iste, & involutus sermonibus obscuris. Quod quidem & Isaias de obscuritate sui voluminis loquitur, dicens: *Et erunt sermones istius libri quasi verba voluminis signati, quod si derint librum homini nescienti litteras, dicentes ei, lege, respondebit: Nescio litteras. Alioquin si dede-*

2. Cor. 3.
v. 6.Job 38.
v. 2.Isai. 29.
v. 11.

rint scienti litteras, dicentes ei, lege librum, respondet: Non possum legere, quia signatus est. Et in hoc, liber Apocalypsis videtur à Joanne signatus sigillis septem, intus & foris; cumque nullus possit signacula ejus solvere, ait Joannes: Et ego flebam nimis; & venit vox dicens: Ne plores: Ecce vicit leo de tribu Juda radix David aperire librum, & solvere signacula ejus. Librum autem istum potest solvere, qui Scripturarum sacramenta cognoscit, & intelligit ænigmata, & verba tenebrosa propter mysteriorum magnitudinem, & interpretatur parabolas, & occidentem litteram transfert ad spiritum vivificantem. Hic est liber qui rota dicitur. Quid autem rota, nisi Sacram Scripturam dicit, quæ ex omni parte ad auditorum mentes volvitur, & nullo erroris angulo prædicationis suæ via retinetur? Ex omni autem parte volvitur, quia inter adversa & prospera, & recte & humiliter incedit. Circulus quippe præceptorum illius, modo sursum, modo deorsum est. Sursum verò est, quia ipsa Scriptura servis Dei perfectis spiritualiter dicitur. Deorsum rota est, quia à carnalibus & ab infirmis mentibus non spiritualiter, sed per historiam juxta litteram intelligitur. Hoc totum una rota est, & una Scriptura est, & una jussio est, & una Ecclesia est, & unus Dominus est, & una fides est, & unum baptisma est: sed una vita non est, & una prædication non est, quia diversi diversa sentiendo, diversis coloribus quasi tinctura diversa fuscantur. Et unde occidit, nisi quia per hanc rotam ambulant, sed non vident eam, quia cæci sunt, & in tenebris ambulant? & cum hoc faciunt, deorsum rotam ducunt. Docti verò & spirituales viri per spiritualem intelligentiam prædicando, rotam in altum ducunt. Phialæ sunt plagæ spirituales, quæ prosperando per minas potentium consentiuntur. Quia
Scrip-

Scriptura carnalibus mentibus, nisi mundum relinquant, midas & terrores promittit. Tunc & fulgura, & tonitrua sunt, & grando, & carbones ignis cum pluvia mixta; & fulgura, quæ à throno Dei, id est, ab Ecclesia per prædicatores procedunt. Sicut dicit: *Et abiit primus Angelus, & effudit phialam suam in terram, & factum est ulcus malum & sævum super homines habentes notam bestię, & adorantes simulacrum ejus.* Omnes istæ plagæ spiritales sunt. Nam ipso tempore Antichristi illæsus erit omnis populus impius ab omni plaga corporis, quasi qui acceperit totam mali faciendi potestatem contra Ecclesiam. Nec opus impossibile erit tunc in adimplerione peccatorum, quia jam peccato pleni sunt & iræ consummatione: & neminem malorum eo tempore [posse] aliqua flagella in corpore sentire, non famis, non sitis, non egritudinis, sed neque à furore malorum compesci. *Factum est ulcus malum*, id est, vulnus sævum, & putredo in eo, sed spiritualiter, eo quod voluntatibus suis sit traditus, ut faciat quidquid voluerit, voluntaria & mortalia peccata.

Et abiit secundus Angelus, & effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis sicut mortui, & omnis anima vivens mortua est in mare. Quid enim appellatione maris, nisi tempestas persecutionum, & corda malorum, tumidis & superbis cogitationibus fluctuosa, queis tempore Antichristi, quasi vi ventorum, id est, spiritualium nequitiarum, graviter in hujus sæculi tempestate Ecclesiæ quassabitur navicula? Quæ hinc inde fluctibus quatietur, & peregrinationis molestias sustinebit. *Explicit.*

INCIPIT TERTIUS ANGELUS.

Cap. XVI
v. 4.

ET tertius Angelus effudit phialam suam in flumina, & fontes aquarum, & factus est sanguis. Et audiui vocem, Angelum aquarum dicentem : Justus es, qui fuisti, & futurus es Sanctus, quia hæc judicasti : & quia sanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderunt, sanguinem eis dedisti bibere : digni sunt. Et audiui aram Dei dicentem : Etiam, Domine Deus omnipotens : veræ & justæ sunt judicationes tuæ." *Explicit.*

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET tertius Angelus effudit phialam suam in flumina & fontes aquarum, & factus est sanguis. Et audiui Angelum aquarum dicentem : Justus es, qui fuisti, & futurus es Sanctus, quia hæc judicasti : & quia sanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderunt, sanguinem dedisti eis bibere : digni sunt. In hoc enim libro octavo septem Angelos dicit, septem phialas effuentes : unus super terram, alius super mare, tertius super flumina, & fontes aquarum ; quartus super solem, quintus super thronum bestię, sextus super fluvium Eufratem, septimus super aërem. Terra, mare, flumina, fontes aquarum, sol, thronus bestię, fluvius Eufrates, aër ; omnia hæc super quæ Angeli effuderunt phialas, terra est, id est, homines : quod probare facile est. Omnibus enim Angelis in terram fundere mandatum est, hoc est, in populis prædicare : quos aliud fecisse credendum non est. Omnes autem plagæ à contrario intelligendæ sunt. Plaga est enim

enim insanabilis, & ira magna, accipere potestatem peccandi, maxime in Sanctos, nec corripi. Adhuc major ira Dei est & errorum fomenta subministrari propter recordationem, ut sibi placeat, & unusquisque Sanctum quod facit, hoc sibi sanctitatem putet, & dicat in corde suo, *justitiam facio*. Multæ viæ putantur hominibus justæ, sed novissima earum venient in profundum inferni. Hæc est plaga iræ Dei, hæc vulnera insanabilia transpungi, in hoc mundo gaudere & placere sibi: & quidquid fuerit, sibi purum & blandum videri: & cum hæc facit, maxime de die in diem in peccatis crescit, cum & multis vicibus detrahit, & multis fratribus irascitur, & putat se Deo sacrificare, cum fratribus ministrat, & suis voluptatibus agitur, & de die in diem in malitia crassatur. Putat se Deo sacrificare, fratris cede perfusum, cum in eo non simplicitas, sed malitia videtur. *Simplices & recti adhæserunt mihi*, dicit Dominus. Proinde Spiritus Sanctus in simplici animali, id est, in columba, apparuit: ut quæ etiam corporaliter felle caret, & alteri inferre aliti injuriam nescit. Solum ergo in eis habitat Spiritus Sanctus, in quibus fuerit simplex & mansuetus dilectionis affectus. Alio loco Spiritus Sanctus in igne apparuit. Consuetudo ignis est frigidus calefacere. Hanc enim habet naturam ignis accensus, ut quanti ad eum accesserint, calefiant. Et quanti ad crinem purpurei splendoris ejus aspexerint, tantis visum suæ lucis impertiat: tantis ministerium per aliquid coctionis substantiæ sui muneris tribuat, & ipse inde nihil minuat, sed nihilominus in sui integritate permaneat. Adinstar ergo istius ignis, Spiritus Sanctus inde nomine ignis appellatur. Propter quod in Apostolorum Actibus per divisionem linguarum ut ignis apparuit, qui

Prov. 14.
v. 12.

Psal. 24.
v. 21.

qui & insedit super unumquemque eorum. Propterea enim diversarum linguarum gratiam Apostolis dedit, ut idonei efficerentur fidelium eruditioni populorum. Quod supra singulos sedisse memoratur, id causa est, ut intelligatur per plures non fuisse divisus, sed mansisse in singulis totus. Multi erant eo tempore qui Christum corporaliter videbant, & cum mirabilia eum facientem videbant credebant, & nullam persecutionem ei faciebant. Sed de tanta multitudine, solum super centum viginti animas legimus Spiritum Sanctum descendisse, & hoc ipsum non per plures domos, sed in una domo congregatos. Ubi ergo inchoavit Ecclesia, nisi ubi venit de cælo Spiritus Sanctus, & implevit uno loco sedentes centum viginti? Duodenarius ille numerus duplicatus erat. Si per singulos duodecim denos ponas, qui perfectus est numerus, centum viginti fiunt. Hæc est una domus caritatis Ecclesia. Hæc est cor unum & anima una. Hæc est una simplicitatis columba. Hic est unus Spiritus Sanctus, qui proprie caritas nuncupatur, quia naturaliter à Patre & Filio quibus procedit, conjungitur, & se unum cum eis esse ostendit, vel quia in nobis id agit, ut in Deo maneamus, & ipse in nobis: unde & in donis Dei nihil majus est caritate: unde & Ecclesiam non possumus plus in aliis virtutibus cognoscere, quam in simplicitate & caritate. Et nullum est majus donum Dei, quam Spiritus Sanctus. Ipse est & gratia, quia non meritis nostris, sed voluntate divina gratis datur; unde & gratia nuncupatur. Sicut autem unicuique Dei filium proprie vocamus sapientiam, cum sit universaliter & Spiritus Sanctus & Pater ipse sapientia; ita Spiritus Sanctus proprie nuncupatur vocabulo caritatis, cum sit & Pater & Filius universaliter

caritas. Et quia quasi duos ligat, Patrem & Filium, & inde proprie dicitur caritas; ita & duos ligat in Ecclesia, Deum & proximum: & omnis qui proximum diligit, Deum diligit. Et proprie caritas non in se, sed in alterum ostenditur, & ibi advenisse Spiritus Sanctus certissime creditur. Et inter eos quos Spiritus Sanctus repleverit, nullus ex eis frigidus invenitur: sicut & ad istum ignem quem diximus, qui accesserit ad calefiendum, nullus frigidus remanebit. Strues enim lignorum cum non ardet, frigida est, & græco vocabulo *rogus* dicitur. Cum verò ardet, græce *pira* dicitur, & latine *ignis*. Omnis enim qui ad calefiendum ad ignem accesserit, certissime & ipse calefactus erit. Et si accesserit, & calefactus non fuerit, certissime scias illum ignem non ardere. Aut si ardet, & non calefacit, certum scias qui calefiat non esse. Ita credas Spiritum Sanctum, ut ignem. Hoc totum quare diximus? quia multos in Ecclesia Sanctos videmus, & avaritia involutos: & cum alios egere conspiciunt, nulla pietatis viscera egenti proximo [aperiunt, nec] miserentur: & die noctuque in squalore pœnitentiæ versantur. Non est ibi ignis Spiritus Sancti, qui utrosque non calefacit. Ignis dicitur, sed frigidus. Sed de hoc igne veritas in Evangelio dicit: *Quia abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Hæc est phiala fusa in flumina. Hæc est maxime in Sanctis spiritualis plaga. Hæc & ulcera in servis Dei, etiam cum peccatoribus & sceleratis mixta, sicut scriptum est: *Qui amat animam suam, perdet eam. Et qui perdiderit animam suam, inveniet eam.* Non amat animam suam, qui melius sibi quærit, quam fratri: omnis enim qui fratri egenti non miseretur, & in una compassione cum eo non compatitur, plus de

Matth.
24.v.12.

Joan. 12.
v. 25.

pros-

prosperitate mundi, quam de tribulatione lætatur. Hic est Angelus aquarum, in quo renovabit Deus habitum aquarum illarum, id est, ostendet Deus quid illis fuerit ille habitus. In Angelo autem aquarum omnes Angelos populorum dixit, id est, interiores homines dicit, qui sunt animæ. Non enim unus Angelus Deo gratias agit super justo judicio ejus, quod iniquis & peccatoribus omnia sua bona in malum converterit, & homicidas morte prostraverit. Hæc spiritalis plaga sicut in malis aperte; ita in bonis grassatur occulte. Et hos tempore Antichristi dæmonum caterva invadet, quos antea in vitiis tenuerit. Si-

Psal. 68. cut scriptum est, *adjiciendo facinus, super facinus*
v. 28. *eorum.* Et tunc parebit aperte, quod nunc in utero gestatur occulte. Et de peccatis propriis unusquisque sibi ignem accendit, & retribuetur eis secundum me-

Psal. 57. rita sua: cum viderint eos justi puniri, tunc *lavabunt*
v. 11. *manus suas in sanguine peccatorum cum viderint vindictam* impiorum. Nam altera qualis ultio poterit esse, si Prophetarum interfectores pro aqua sanguinem biberint? Aut quomodo dicent pax & securitas, manducantes & bibentes, si ulceribus fossi & saucii sanguine rigentur? *Et audiui aram Dei dicentem: Etiam, Domine Deus omnipotens: veræ & justæ sunt iudicationes tuæ.* Quod sunt Angeli, hoc est & Ara, id est, Ecclesia una, quæ die noctuque Deo gratias agere non cessat. *Explicit de tertio Angelo.*

INCIPIT QUARTUS ANGELUS.

Cap. XVI "ET quartus Angelus effudit phialam suam super
v. 8. "Solem, & datum est ei urere homines igni: & "usti sunt homines ustione magna: & blasphemave-
 "runt

„runt nomen Dei habentis potestatem in his plagis;
„neque egerunt poenitentiam, ut darent ei claritatem.”

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET quartus Angelus effudit phialam suam super Solem, & datum est ei urere homines igni. Non Soli datum est, sed ei qui Solem perfudit. Et usti sunt homines ustione magna. Futuro utique igne, ubi peccatores mittentur, sicut prima descriptione in libro quinto de equis quos viderat in visione, quorum capita erant ut leonum, & ex ore eorum exire ignem, fumum, & sulphur, id est, præparati ad incendium gehennæ, & ex his tribus plagis occidisse spiritualiter homines, hoc est verba ipsorum hominum qui se dicunt terrenos. Quod est ignis, sulphur, & fumus, id est, verba unde seducuntur terreni, hoc est & ustio Solis, per quam præparantur ad ignem incendii, qui eis consentientes fuerint. In præsentiarum verò istius temporis, quantum permittitur, clarificat Dominus suos: quam claritatem & lætitiā Spiritus Sanctus plagas definivit, & dolores; quia non possunt Sancti fieri, nisi prius fuerint in patientia probati per malorum persecutiones. Et blasphemaverunt nomen Dei, habentis potestatem in his plagis: neque egerunt poenitentiam, ut darent ei claritatem. Nomen Dei cum in hoc sæculo in peccatis luxuriantur, blasphemant: & filios Dei se vocant, nam non aperte nomen Dei blasphemant; sed cum hæc quæ diximus opera agunt, nomen Dei blasphemare dicuntur, cum Christiani se ore confitentur, & opere Christiani non sunt. Pro hoc dicit blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem in his plagis, neque egerunt poenitentiam.

tentiam, ut darent ei claritatem. Non ad ipsorum duritiam retulit, sed ad justam indignationem Domini, qui tale genus plagæ dedit, in quo non recordentur. Nam si corporaliter fuissent afflicti, debuerant sanari per manum Dei, à quo fuissent tacti. Nam in hoc mundo, divino judicio, in voluptates redacti sunt, ut faciant quod voluerint, unde damnentur. Nam justi in hoc sæculo per tribulationes in pugnam mittuntur, ut cum probati fuerint, habeant unde coronentur. Sicut scriptum est: *Flagellat Dominus & castigat, & corripit omnem filium quem recipit.*

Prov. 3.
v. 12.

INCIPIT QUINTUS ANGELUS.

Vers. 10. **E**T quintus Angelus effudit phialam suam super
 » thronum bestię, & factum est regnum ejus con-
 » tenebricatum: & comedebant linguas suas à doloribus
 » suis, blasphemantes ex ira Dei, & pœnitentiam non
 » egerunt."

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ.

ET quintus Angelus effudit phialam suam super
 thronum bestię, & factum est regnum ejus con-
 tenebricatum; id est, de his plagis quas supra diximus
 obscuratum, & lucis alienum: thronus enim bestię
 Ecclesia ejus est: ipsa est sub pedibus mulieris. Et co-
 medebant linguas suas à doloribus suis; id est, invi-
 cem sibi nocebant, quia cum sint mali, & unum corpus
 diaboli sint, inter se invicem pacem non habent. Sicut

Matth. veritas dicit: *Occidet autem frater fratrem in mortem,*
 10. v. 21. *& pater filium, & insurgent filii in parentes, &*

mor-

morte eos afficient. *Blasphemantes ex ira Dei*, quia hoc breve tempus gaudia æstimant: & quod oculis vident, hoc pro Deo habere se putant, ita ut pro Deo ventrem colant. *Et pœnitentiam non egerunt*. Utique obdurati sunt præ lætitia, & mundi amicitia; nam non aperte Deum blasphemant: nam cum sint amatores mundi, & prædicatores nequissimi, super pace & abundantia sua gratias Deo referunt. Sicut in Evangelio dictum est de ovibus Dei, videntes eas dicebant, *Benedictus Dominus, quia & nos benedicti sumus. Explicit quintus Angelus.*

INCIPIT SEXTUS ANGELUS HISTORIÆ.

“**E**T sextus Angelus effudit phialam suam super flumen illud magnum Eufratem: & siccata est aqua ejus, ut præparetur via Regum eorum, qui sunt ab ortu Solis.” *Explicit historia.*

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET sextus Angelus effudit phialam suam super flumen illud magnum Eufratem; id est, super omnem populum magnum ad ignem incendii præparatum, sicut dicit: & *siccata est aqua ejus*; id est, perfecta ad combustionem, in quo nihil remansisset vivum, nihil viride quod non esset igni aptum. Hoc est quod supra dixit: *Aruit messis terræ*; & in hoc libro septimo require. *Ut præparetur via Regum eorum, qui sunt ab ortu Solis.* Sol, Christus est. Reges, Sancti sunt, qui sunt ab ortu Solis, id est, à Christo. His enim perfectis, justi rapiuntur obviam Christo in aera. Hæc est via Regum eorum ab ortu Solis. Prætermisso

sexto Angelo, recapitulat ab origine brevius. *Explicit.*

INCIPIT HISTORIA DE RANIS.

Cap. XVI
V. 13.

ET vidi ex ore draconis, & ex ore bestię, & ex ore pseudoprophetę spiritus tres immundos, „quasi ranę. Sunt enim spiritus dęmoniorum facientes „signa, ranę: qui exeunt ad Reges totius orbis congregare eos in bellum diei magni Domini omnipotentis. Ecce venit ut fur: beatus qui vigilat, & servat „vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. Et congregabit illos in locum qui dicitur hebraicę Armagedon.” *Explicit historia.*

EXPLANATIO DE EISDEM RANIS.

ET vidi ex ore draconis, & ex ore bestię, & ex ore pseudoprophetę spiritus tres immundos. Jam supra draconem diabolum diximus: Bestiam verò omnem populum malum, hoc est, corpus ejus: Pseudo tamen propheta, ipsi pseudosacerdotes sunt, quos per bestiam cum duobus cornibus supra exposuimus. Hi tres unum sunt. Tres spiritus se vidisse testatur, sed unum spiritum habent. Quia & unum caput habent diabolum, cujus membra esse creduntur. Hi spiritus verba ipsorum sunt, quia quod diabolus eis inspirat, hoc loquitur populus, qui bestia dicitur: hoc & pseudoprophetę, qui eorum Sacerdotes esse dicuntur. Unum spiritum vidit, sed pro numero partium unius corporis draconis, id est, diaboli. Nam & bestia corpus diaboli, & pseudopropheta, id est, prępositi, corporis diaboli unus spiritus est. *Quasi ranę: sunt enim spiritus dęmoniorum facientes signa, ranę.* Rana est enim loquacissima vanitas,

tas, nihil enim ad aliud animal ipsum utile est, nisi quod sonum vocis improbis & importunis clamoribus reddit. Namque propter errorem proprium loco immundæ sunt, & in collectionibus aquarum, & in cœno, & in lacunis nutriri consuescunt. Et indignæ & fœtidæ videntur: non solum aquarum refugæ, & siccitatis patientes sunt, sed etiam in ipsis aquis sordibus & cœno volutantur. Sic hypocritæ & pseudoprophetæ non in aqua limpidissima, quæ in fontibus, aut in fluminibus est, degunt, quod est doctrina Apostolorum aut doctorum; sed in ipso populo, qui membra diaboli esse creduntur: in eorum mentes indignis clamoribus, quasi ranæ è cœno, voces mittunt: qui inani quadam & inflata modulatione velut ranarum sonis & cantibus, modò hujus deceptionis fabulas inferunt. Sicut Pharaò, qui cum populum perduceret in baptisma, post eum intrare ausus, ibidem mortuus est; sic certissimè & isti spiritum ranæ habent immundæ, id est, spiritum dæmoniorum, qui in hoc cœno voluptatis involvuntur & occultantur. *Facientes signa, quæ exeunt ad Reges orbis totius congregare eos in bellum diei magni Domini omnipotentis.* Reges dicit omnes homines regni diaboli. Sicut Sancti, qui corpora sua fortiter regunt, Reges dicuntur; ita è contrario homines mali, qui voluntates corporis faciunt, Reges esse dicuntur. *Facientes*, inquit, *signa*. Signa dicit, sed non vera: quia sub nomine christianitatis & sanctitatis, qualiter decipiant, signa facere dicuntur. *Qui exeunt ad Reges totius orbis*: non dixit *facient*, aut *exient*, ut solum de futuro esse dicentur, sed *facientes* dixit: & à passione Christi usque ad Antichristum, omne tempus, quod pseudosacerdotes in Ecclesia facerent, in unum comprehendit. Recapitulatio est enim totius temporis, in quo hypocritæ faciunt signa, cæ-

lestia gerendo , id est , baptisma in populo , & quasi benedictionem ostendendo. *Congregare* , inquit , *eos ad bellum diei magni* ; non quod de toto orbe ad unum locum colligat , sed unamquamque gentem suo in loco. Quia in omni mundo , sicut Ecclesia Catholica dilatur , ita in toto mundo diabölus sub nomine christianitatis suos habere creditur , qui Ecclesiam persequantur.

Apoc. 2. Sicut ipsi Ecclesiæ dicit : *Scio ubi habitas , ubi sedes est Satanæ*. Diem namque Domini magnum totum tempus dicit à Domini passione , sed pro locis accipendus est : aliquando enim diem iudicii dicit diem Domini : aliquando novissimam persecutionem Antichristi : aliquando totum tempus dicit , id est , à passione Domini , usque ad Antichristum , quod non tempus , sed unum diem nominat : sicut per

Amos 5. Prophetam dicitur : *Væ , inquit , eis qui concupiscunt diem Domini : ut quid iste vobis ? dies Domini & ipse tenebræ , & non lux. Quemadmodum si fugiat homo à facie leonis , & occurrat ei ursus ; & currat in domum suam , & incumbat manibus parieti , & mordeat eum serpens. Nonne tenebræ dies Domini , & non lux ; & nebula , non habens lumen ?*

Numquid istæ comparationes convenient in diem iudicii , ubi jam non vacat de periculo ad periculum fugere , quia jam ibi ignis æternus dicitur ? Aut in diem iudicii tenebræ & non lux , aut nebula non habens lumen , cū scriptum sit : *Quemadmodum fulgur exit ab oriente , & paret usque in occidentem , ita erit adventus Domini ?* Ergo hæc , quæ diximus , si tunc non erunt , in hac vita sunt , quibus dies Domini tenebræ sunt : id est , quia hunc mundum in delitiis peragere concupiscunt. *Væ , inquit , eis qui concupiscunt diem Domini* , id est , qui in eo delectantur :

Matth.
24. v. 27.

tur : quibus suavis est ; qui in eo bona percipiunt : qui æstimant lucrum esse religionem , quibus dicit : *Væ vobis , qui saturamini : Væ vobis , qui ridetis , quia plangetis*. Non illis , de quibus dicit : *Beati plangentes , & lugentes* , quibus iste dies , id est , mundus non concupiscitur : quibus dies iste , caminus humiliationis , paupertatis , & tribulationis est. Sed diviti dicitur , qui , Christo indigente & esuriante , ille induitur purpura , & epulatur splendide. Quid enim profuit ei filium se Abrahæ nuncupari , qui opera Abrahæ non fecerat ? Quid enim prodest Christianum dici , & non esse imitatore Christum ? Quid enim profuit illi diviti cognovisse diem Domini , & concupiscere illicita ? Gratulans in hoc mundo dignitatis genere , & divitiarum affluentiam ? Nonne illi Domini dies , quem concupivit in hoc mundo , fames & nuditas in postmodum fuit , atque omnis caligo confusa tenebrarum , & cæcitatæ nox extitit perpetua ? Qui fratrum negligentiam non in vita corripuit , & in hoc mundo oculos aperire non potuit , sed de inferno eos corripere quæsit. Sequitur denique , & dicit quemadmodum iste dies concupiscentibus eum contrarius sit : *Odi dies festos vestros* , dicit Dominus , *& non odorabor in solemnibus vestris ; quoniam etsi offeratis holocaustomata & sacrificia vestra , non accipiam : & salutis signum super limina vestra non respiciam*. Nam *& strepitum viarum tuarum , & psalmum organorum tuorum non audiam*. Non dixit *si offeratis holocaustomata mea , non accipiam , sed vestra*. Dominus enim sua esse vult , id est , divina , non eorum humana. Sicut offerunt , & veluti propter salutem super limina sua Agni sanguine consignant , quæ non respicit Deus , id est , signum crucis in fronte ges-

Matth. 5.

Luc. 16.
v. 19.

Amos supra.

tant, & fiduciam baptismi habere se putant, & christianitatis indicium: & hoc putant sibi sufficere, absque justo opere per hoc signum, Christi participes esse. Signum est enim bestię, non Christi sanguis. Pro hoc dicit *facientes signa*. Adjecit adhuc & ostendit, illos diem Domini concupiscere, qui dum falso legitimis ejus utuntur, & anniversaria solemnitatum & festivitates ab eis legitime suscipiuntur & celebrantur; sui, & non Domini est quod faciunt, & eorum jocunditatem veluti perpetim permanentem, & non fugientem, putant, in nullo fratribus compatientes. Væ, inquit, qui optant hanc diem, & vacui ad illum diem appropinquant, & attingunt, & observant Sabbata falsa, id est, requiescunt in solemnitatibus festis, qui dormiunt in lectulis eburneis, & luxuriantur in stragulis eorum, & manducant hædos de gregibus, & vitulos de medio armentorum lactentes, qui plaudunt ad vocem organi, veluti permanentia & numquam transeuntia æstimaverunt etiam fugitiva. Qui bibunt colatum vinum, & primo unguento ungentur, & non compatiebantur tribulantibus. Iterum tertio modo diem Domini in commune dixit, totum tempus & novissimum certamen quod futurum speratur: qui hunc diem sæculi in delitiis peragunt, hi de hoc die deliciarum ad diem supplicii pertrahuntur. Quem diem Propheta

Sophon. 1
7. 14. *intuens dixit: Propè est dies Domini magnus, propè & velox nimis: vox diei Domini amara constituta est, tribulabitur ibi in eo die omnis fortis & potens. Dies iræ dies illa, dies pressuræ & necessitatis. Dies tribulationis, & angustię, & exterminii. Dies tenebrarum & nimbi. Dies nubis & nebulae. Dies tubæ & clamoris super civitates illas munitas, & super angulos illos altos. Et exprimam homines, &*

*ambulabunt quasi cæci, quoniam Domino peccaverunt. Et effundam sanguinem eorum quasi limum, & carnes eorum quasi finum. Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini. Manifestum est itaque totum tempus, & præsens, & futurum, dixisse congregare eos in bellum diei magni Domini. Ecce venit ut fur. Beatus qui vigilat & servat vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. Et congregabit illos in locum, qui dicitur hebraicè Armagedon. Beatus est qui nunc vigilat, & vestimentis operum suorum, id est, baptismi & poenitentiae candidatus ambulat, & elemosynis & justis operationibus, non præsentem sed futuram gloriam & requiem desiderat, ita ut undique circumseptus bonis operibus, ne dicto, facto, vel cogitatu dilabatur, ne in diem judicii videant Sancti turpitudinem ejus. Quod autem dixit congregabit illos in locum, qui dicitur hebraicè Armagedon, hoc ad novissimam persecutionem Antichristi pertinet: tamquam si diceret, congregabit illos in pugnam. Hoc ad Sanctos pertinet, qui in eo tempore in certamine erunt. In alia recapitulatione interpretatur hunc locum, dicens: Congregabit eos in bellum, quorum est numerus sicut arena maris. Et ascenderunt in latitudinem terræ, & circumdederunt castra Sanctorum, & civitatem dilectam, id est, Ecclesiam. Repetit ordinem apertius in septima phiala & persecutione novissima, qualis numquam in mundo fuerat facta. *Explicit VI. phiala.**

INCIPIT SEPTIMUS ANGELUS.

“**E**T septimus Angelus effudit phialam suam in Cap. XVI
 ” aërem, & exiit vox magna de templo, & à thro- v. 17.
 ” no, dicens: Factum est. Et facta sunt fulgura, & vo-

»ces, & tonitrua, & terræmotus factus est magnus, qua-
 »lis non est factus, ex quo homines facti sunt super
 »terram, tantus terræmotus & tam magnus. Et facta
 »est civitas illa magna in tres partes: & civitates gen-
 »tium ceciderunt: & Babylon illa magna in mentem
 »Deo venit, dare ei poculum vini iræ suæ. Et omnis
 »insula fugit, & montes non sunt inventi. Et grando
 »magna quasi talentum, quæ descendit de cælo super
 »omnes: & blasphemaverunt homines contra Deum ex
 »plaga grandinis, quoniam magna est plaga ejus nimis.”

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET septimus Angelus effudit phialam suam in aërem,
 & exiit vox magna de templo & à throno, dicens:
Factum est. Jam supra diximus terram, mare, flumina
 & fontes aquarum, Solem, thronum bestię, fluvium
 Eufratem, & aërem, hæc septem unum esse. Quod au-
 tem dixit: Vox magna exiit de templo à throno, di-
 cens: *Factum est*; id est, vox exiit ab Ecclesia, quæ
 dicit: *Finitum est.* Deinde repetit, & recapitulat ab
 eadem persecutione: *Et facta sunt fulgura, & voces,*
& tonitrua, & terræmotus factus est magnus, qualis
non est factus, ex quo homines facti sunt super ter-
ram, tantus terræmotus & tam magnus; id est, pres-
 sura tempore Antichristi erit qualis numquam fuit ab
 initio mundi. *Et facta est civitas illa magna in tres*
partes. Frequenter in hoc libro diximus, & iterum
 reiteramus, tres partes populi esse in toto mundo, &
 duas esse diaboli, & unam Dei: unam esse foras Ec-
 clesiam, id est, Gentiles & Infideles: & duas intra Ec-
 clesiam, unam quæ est simulacrum Antichristi, & ter-
 tiam, quæ est Ecclesia. Ergo civitas magna omnis omni-

no populus est, quisquis est sub cælo, qui fiet in tres partes cum Ecclesia separata fuerit: ut sit gentilitas una pars, & abominatio vastationis altera, & Ecclesia quæ exiit de medio ipsius, tertia. Sequitur enim, & ostendit quæ sint tres partes, dicens: *Et civitates gentium ceciderunt: & Babylon illa magna in mentem Deo venit, dare ei poculum vini iræ suæ. Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi.* Civitates gentium gentes sunt, quas supra diximus paganas. Babylon confusio & abominatio est vastationis, quæ est intra Ecclesiam sub nomine christianitatis. Quod autem dixit: *Civitates gentium ceciderunt*; omnem fortitudinem & spem gentium, quæ in hoc mundo possidebat, dicit cecidisse. Montes & insulæ Ecclesia est, in his civitatibus constituta & cruciata. Non enim separatas habent civitates à Christianis, ut ipsæ specialiter ceciderint; sed cum mali Ecclesiam conculcant, tunc & cadere & spem suam perdere dicuntur. Aut si in diem iudicii putandum est; cur postea Babylon in mentem Deo venit? Sed has civitates dixit David: *Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum*, cum communes habeant plateas boni & mali. Istæ sunt ergo tres partes, id est, Gentilitas, & Babylon, de qua exire jubetur populus Dei: & insulæ & montes qui fugerunt, ipsa est Ecclesia. Fugere dicitur, & non esse inventa, id est, non esse à malis separata. Babylon autem generale malum est adversus Jerusalem sive in gentibus, sive in falsis fratribus: sed pro locis accipiendum est, sicut veritate scimus. Tunc autem Babylon cadit, aut iram Dei bibit, cum potestatem accipit ut Ecclesiam persequatur, præcipue in novissima persecutione Antichristi. Propterea ipsam dicit cecidisse terræmotu, quem facit Ecclesiæ. Insulas enim septem Ecclesias dicit

Pr. 143.
v. 14.

Isai. 19. esse. Sicut Isaias dicit : *A claritate Domini turbabitur*
v. 5. *aqua maris.* Propterea insulis erit claritas Domini, &
24.v.15. *insulis maris nomen Domini clarum erit.* Has insulas
 dicit fugisse, & inventas non esse, id est, non esse se-
 paratas: quia illi qui malis consentiunt, separati esse
 dicuntur. *Et grando magna quasi talentum, quæ des-*
cedit de cælo super omnes. Hæc grando, quæ des-
 cendit de cælo, ira Dei est, quæ descendit super pec-
 catores. Sicut scriptum est : *Ira Domini sicut grando*
Ezech. 13.v.13. *descendens.* Ab hac grandine Dominus tutelam suæ Ec-
 clesiæ promittit dicens : Grando autem si descenderit,
 non veniet super vos. Hanc grandinem eidem populo
 in hoc terræmotu comminatur Deus dicens : Cum ve-
 nerit Gog in terram Israel in die illa *erit terræmo-*
Ib. c.38. *tus grandis in terra Israel :* & adjecit : *Judicabo*
v. 19. *eum morte, & sanguine, & imbrem inundantem lapi-*
dibus quadrinis. Et ignem & sulphur pluam super
 eum. Hæ plagæ grandinis, & sulphuris, & ignis, spi-
 rituales sunt intra Ecclesiam. Sic in Ægypto legimus
 decem plagas, quas omnes in hoc libro spirituales
 esse cognoscas. Et omnes plagæ Ægypti figuræ fue-
 runt plagarum spiritualium. *Et blasphemaverunt ho-*
mines Deum ex plaga grandinis, quoniam magna est
plaga ejus nimis. Non ut apertè blasphement Deum;
 sed cum in peccatis luxuriantur, & filios Dei se di-
 cunt, à plaga grandinis, id est, ab ira Dei, spiri-
 tualiter devastantur. Cum quiete se & longo tempore in
 hoc mundo vivere credunt, repente ab hac luce sub-
 trahuntur, & ignorant ad quam pœnam vel supplicia
 ducantur. Hæ sunt septem phialæ, id est, spirituales
 plagæ, quæ in hoc mundo inter Ecclesiam geruntur.
 Hic facit finem, & recapitulat ab origine, id est, à
 Christi passione. *Explicit liber octavus.*



INCIPIT LIBER NONUS

DE MULIERE MERETRICE, ET BESTIA.

ET venit unus ex septem Angelis habentibus phialas, & locutus est mecum dicens: Veni & ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, sedentis super aquas multas: cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt qui inhabitant terram de vino fornicationis ejus. Et pertulit me in eremum in spiritu." *Explicit.*

Cap.
XVII.

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET venit unus ex septem Angelis habentibus phialas, & locutus est mecum dicens: Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, sedentis super aquas multas: cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt qui habitant terram de vino fornicationis ejus. Hanc mulierem supra in Prologo Ecclesiarum aperte & plenius exposuimus, quæ esset. Hæc mulier iniquitatis est opus, quod in populo exercet, quæ dicitur bestia, super quam & sedere cognoscitur, cum qua & Reges terræ fornicari creduntur. Reges terræ sunt qui corpora sua non regunt, sed in voluptatibus suis ambulare delectantur. Et hæc mulier, non solum malos, sed etiam bonos pertrahendo, propinat poculum aureum, quod habet in manu, quia falsitatis sanctitatem simulat. In manu operatio dicitur. Aliquando enim in auro sapientia intelligitur. Super aquas multas sedere dicitur, quia per totius mundi populum ini-

iniquitatis suæ opera dilatata tenet. Aquæ enim multæ populi sunt, sicut scriptum est : *Aquæ*, inquit, *multæ quas vidisti, super quas meretrix illa sedet, populi sunt & nationes. Et pertulit me in eremum in spiritu.* Eremum dicimus desertum, ubi à nullo cultore laboratur. In eremo dicit se mulierem vidisse, eo quod in populo mortuo, & à Deo deserto sedeat hæc mulier, id est, corruptela & operatio mala. Quod autem dicit *pertulit me in spiritu*, hoc est quia non nisi à spiritualibus & catholicis, hæc opera reprehenduntur. Spiritualis enim carnalem reprehendit, quia non carnalis carnalem, cum & membra sibi non possunt esse contraria. Sed quia hæc plaga spiritualis est, cum dicat mulierem pretiosè ornatam, id est, simulatione christianitatis coopertam, deintus immunditia iniquitatis plena aperte cognoscitur ab spiritualibus reprehendi, cum in spiritu se memorat transtulisse. *Explicet.*

INCIPIT DE EADEM MULIERE ET BESTIA.

Cap.
XVII.
v.3.

“**E**T vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nomine blasphemiarum, habentem capita septem, & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura, & cocco, & adornata auro & lapide pretioso, & margaritis, & habebat poculum aureum in manu sua, plenum abominationum & immunditiarum fornicationis ejus : & in fronte ejus nomen scriptum : *Mysterium : Babylon magna mater fornicationum & execrationum terræ.* Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Jesu. Et miratus sum videns eam admiratione magna. Et dixit mihi Angelus : *Quid miratus es?*

»es? Ego tibi dicam mysterium mulieris, & bestiae
 »portantis eam, habentis capita septem, & cornua
 »decem. Et bestia, quam vidisti, fuit, & non est; &
 »futura est ascendere de abyssu, & in perditionem ire.
 »Et mirabuntur qui habitent in terra, quorum non est
 »scriptum nomen in libro vitae à constitutione mundi;
 »videntes bestiam, quoniam fuit, & non est, & ven-
 »tura erit. Hic est sensus, qui habet sapientiam. Sep-
 »tem capita, septem montes sunt, ubi mulier sedet su-
 »per eos, & reges septem sunt. Quinque ceciderunt:
 »unus est, alius [qui] nondum venit: Et cum vene-
 »rit, modicum eum oportet manere. Et bestia, quæ
 »fuit, & non est, & ipsa octava est, & ex septem
 »est, & in perditionem vadit. Et decem cornua, quæ
 »vidisti, decem Reges sunt, qui regnum nondum ac-
 »ceperunt, sed potestatem quasi Reges una hora acci-
 »piunt post bestiam. Hi unam sententiam habent, &
 »virtutem & potestatem suam bestiae dant.» *Finit.*

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET *vidi mulierem sedentem super bestiam.* Hic os-
 tenditur bestia populus esse. Promisit enim osten-
 dere sedentem super aquas multas. Bestia & aquæ unum
 sunt, id est, populus. Corruptelam dicit sedere super
 populos in eremo. Meretrix, bestia, & eremus unum
 sunt. Bestia autem ut dictum est, corpus est adversa-
 rium agno, id est, corpus diaboli, qui sunt homines
 mali. In quo corpore nunc diabolus, nunc caput ve-
 lut occisum, id est, Sacerdotes mali, in quibus dia-
 bolus se transfigurat in Angelum lucis, & nuncupatur
 alio nomine diabolus: nunc populus accipiendus est,
 quod hoc totum una civitas Babylon est. *Et vidi mu-*

lierem sedentem super bestiam coccineam, id est, peccatricem, cruentam, plenam omnium blasphemiarum. Ostendit multa nomina esse in bestia. *Habentem capita septem*, & *cornua decem*, id est, habentem reges mundi, & regnum, cum quibus visus est diabolus in Cælo, id est, in Ecclesia. *Et mulier circumdata erat purpura*, & *cocco*, & *adornata auro*, & *lapide pretioso*, & *margaritis*, id est, omnibus illecebris, & simulatæ veritatis ornata ostenditur, quia de foris christianitas videtur. Quid sit denique intra hanc pulchritudinem mulieris, sic exponit dicens: *Et habebat calicem aureum in manu sua*, plenum abominationum, & *immunditiarum fornicationis ejus*. Aurum plenum immunditiarum, hypocrisis est, id est, simulatio sanctitatis, qua foris quidem parent hominibus justi, intus autem pleni sunt omni immunditia. *Et in fronte ejus vomen scriptum: Mysterium: Babylon magna mater fornicationum & execrationum terræ*. Nulla est supersessio, id est, superflua falsitatis religio, quæ in fronte det signum nisi hypocrisis, id est, simulatio sanctitatis. Spiritus autem retulit quid sit scriptum in fronte mulieris: habebat, inquit, scriptum, *Babylon magna*, id est, confusio grandis. Hoc *mysterium* dixit, id est Sacramentum: ut aperte cognoscas, in Ecclesia malum magnum esse factum. Nam quis talem titulum aperte in fronte imponat? *Mysterium* enim dixit esse, quod spiritualiter interpretatum est. *Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum*, & *de sanguine Martyrum Jesu*. Duo populi sunt adversarii Ecclesiæ, qui videntur membra diaboli esse: unum sunt foras Ecclesiam, infideles: alii intra Ecclesiam, quasi fideles. Unum est enim corpus adversum intus ac foris. Quod licet videantur loco & habitu separati, in communi

tamen spiritu operantur. Impossibile est enim , ut iustum alter occidat , nisi qui se christianum simulat. *Im-* Luc. 13.
v. 33. 34.
possibile est enim Prophetam perire præter Jerusalem , interficientem Prophetas , & lapidantem missos ad se. Jerusalem est interpretatum visio pacis. Ergo Jerusalem est congregatio maligna , quæ est christianitas falsa , quæ hic pacem habet , quia futuram non sperat. Ipsa est Jerusalem quæ occidit Prophetas , id est , Prædicatores qui illis pacem futuram denuntiant. Sic pronepotes pravorum sensu Zachariam lapidasse accusantur , cum ipsi non fecerint ; sed hæc lapidatio dicta est , quæ nunc in Ecclesia geritur. *Et miratus sum videns eam admiratione magna. Et dixit mihi Angelus : Quid miratus es ? Ego tibi dicam mysterium mulieris , & bestię portantis eam , & habentis capita septem , & cornua decem. Et bestia , quam vidisti , fuit , & non est ; & futura est ascendere de abyssu , & in perditionem ire.* Bestia inquam , quam vidisti dicendo , & quam vidisti , fuit & non est , ostendit esse alteram quæ fuit & non est , id est , caput velut occisum , quod sanctitatem simulat. Fuit , & non est , quia aliquando hypocritæ & simulatores fuerunt cum malo populo uni , qui est caput velut occisum in bestia , & mortui sunt : & modo ipsi sunt , quia de malis mali nati sunt , imitando malos. Hæc est bestia , quæ fuit , & non est , quia jam mortui sunt , & non sunt. Et bestia quam vidisti , ipsi mali sunt , qui modò sunt. Et isti morientur , & alii venturi sunt , & de abyssu resurrecturi sunt , id est , de occulto populo , qui adhuc non videntur quales futuri sunt. Hæc est bestia , quæ fuit , & non est , & ventura est. Duas bestias dixit : unam cum duobus cornibus , quæ est simulatio sanctitatis , quam caput velut occisum dicit : al-

teram cum septem capitibus , quæ est omnis omnino populus. De isto ergo sic dicit : *Bestia fuit , & non est ; & futura est ascendere de abyssu , & in perditionem ire* , id est , nasci , & mori : & ex populo malo nasci ut posset dici bestia ex bestia. Jam supra diximus Sanctos nasci ex Sanctis , imitando Sanctos : & malos nasci ex malis , imitando malos. Non carne nascendo , sed per opera imitando. Cum & carnaliter bonos filios videmus nasci de malis , etiam martyres ; & malos filios videmus nasci de bonis , etiam interfectores martyrum. Nascitur ergo bestia ex bestia , imitando bestiam. Aut abyssus ex abyssu jugem adventum & interitum dixit bestiæ , ex bestia nascentis , & in perditionem euntis. Sicut & pars sua unde nata est quæ jam non est , sic fit ut & non sit , & ascendat ex superstitite , & in perditionem vadat , sicut patres sui de quibus ascendit , & jam non sunt. *Et mirabuntur qui habitent in terram , quorum non est scriptum nomen in libro vitæ à constitutione mundi ; videntes bestiam , quoniam fuit , & non est , & ventura erit.* Mirabuntur , inquit , habitantes terram , id est , terreni , quia non cælestes habitantes in cælo , id est , in Ecclesia. Justo dictum est : Cælum es , & in cælum ibis. Peccatori verò dictum est : Terra es , & in terram ibis. De hoc dictum est : *Mirabuntur habitantes terram* , cum ipsa bestia quæ fuit & non est , & ascendit de abyssu , & in perditionem vadit sicut habitantes in terra : & ipsa bestia miretur alteram bestiam quæ fuit , & non est , & ventura est. Sed synonyma dividit ad intellectum. Nam supra dixit *mulierem super bestiam* , & hic dicit , *bestia quam vidisti , fuit , & non est , & ventura est.* Hæc synonyma , ut diximus , confundit intellectu. Synonyma sunt , cum

una res dissimilibus verbis dicitur. Nam bestia super quam mulier sedet, & abyssus, habitantes terram, unum est. Et ipsa est hæc bestia, quæ fuit, & non est, & ventura est, & nascitura est ex bestia, & in perditionem itura. Acsi aperte diceret: Mortui sunt, qui jam mali sunt, & in infernum missi sunt, & ex ipsis alii nascuntur qui moriuntur, & in perditionem vadunt, id est, in infernum mittuntur. Infernus enim perditio animarum est. Et mirabitur ipsa bestia videns alteram bestiam, *quoniam fuit, & non est, & ventura est.* Acsi diceret: quales illi christiani fuerunt qui mortui sunt, tales & isti qui vivunt, qui sub nomine christianitatis Christum nobiscum adoraverunt, & Christum in membris suis occiderunt: & isti Christum nobiscum adorant, & Christum in membris suis occidere non formidant. Illi cum Christum nominant, Christum adorare se existimant: sed in vocabulo Christi bestiam adorant, id est, patres suos, quos in opere imitantur, quos in exemplo caput habent, in cujus corpore isti conjuncti sunt. Corpus ergo miratur caput, id est, bestia quæ fuit, & non est, & nascitur, miratur videns, quoniam fuit bestia, & non est, & ventura est. In illa enim operatione erroris insensati quam faciunt, voce publica mirantur nobiscum Dominum nostrum Jesum Christum, videntes quoniam fuit, & occisus est, & venturus est. Sed Spiritus relatione vident bestiam, quæ se in hoc ordine catholico mediatorem Christum in ore suo resonant. Revera sciunt Dominum fuisse, & occisum esse, & venturum sperant, & gloriantur in ejus nomine, & sciunt Christum facere signa & prodigia & virtutes magnas. Sed neque ipsi Christum cognoscunt, neque Christus illos: ipso Domino dicente, virtutes magnas in nomine ejus allegantibus:

Matth. 7. v. 23. *Numquam vos agnovi, qui operamini iniquitatem.* Quo manifestum est, omnes pseudosacerdotes & hypocritas non Christum videre, sed bestiam quæ illis hanc invenit deceptionem, ut sub nomine Christi charismatum, id est, Sacerdotii ordine & virtutum spe seducti secure peccent & delinquant: nullo modo sine amore Dei tantas virtutes potuisse se facere arbitantes, cum dicant: Quis baptizavit illum, & illum? Quis sacra- vit illam & illam virginem? Quis sanctificavit illud & illud templum? Quis illum & illum Sacerdotem ordina- vit, nisi nos? Non potuerat ita esse Sanctum, nisi à nobis fuisset sanctificatum. Et ideo inter se quid- quid in cubiculis faciunt, Christi esse virtutem signo- rumque asserunt testimonio. Duæ sunt ergo bestiae de quibus dixit: *Fuit, & non est.* Abyssus, qui est populus, vel habitantes terram, miratur videns bestiam, quoniam fuit, & non est, & ventura est. Una est quæ nascitur ex abyssu, altera quæ speratur nasci. *Hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem capita septem montes sunt, ubi mulier sedet super eos, & reges septem sunt.* Descripta bestia, quam præsens miratur & sperat, describit & ipsam quæ miratur. Et quia duæ sunt, una quæ miratur, & altera quæ mirata est, id est, una quæ fuit & transivit, & non est; & altera quæ est & miratur ipsaque transibit, id est, vivet in ipso opere quo illa vixit: *Septem, inquit, capita, sep- tem montes sunt, ubi mulier sedet super eos, & re- ges septem sunt.* Isti septem montes quid aliud sunt nisi septem vitia, id est, fornicatio, philargiria, ira, tristitia, accidia, vanagloria, & superbia? Et reges septem sunt, quia ubi hæc vitia principatum tenent, reges & ipsi dicuntur quos possident. Septem enim per- fectum numerum diximus, quod & in hebdomadis sep- te-

tenario numero esse videmus. Super hos septem montes sedet mulier illa, id est, iniquitatis opera, quæ, cum omnes iniquitates ad unum malum confluunt, una mulier esse dicantur; ut quasi multa membra unum corpus efficiunt, ita omnium operum malorum immunditia, & effeminata conscientia, una mulier esse dicatur. Denique & in sexto libro de his septem montibus & septem Regibus jam diximus: sed de hac muliere tacuimus, cum & in historia tractando, eam minime invenimus. In eo libro tres bestias diximus ascendentes, unam de abyssu, alteram de mari, tertiam de terra. In hoc libro diximus: *Et vidi mulierem sedentem super bestiam, quæ fuit & non est, & ventura est.* Apertissimè ostenditur, quia illæ tres bestię & ista quarta non sunt quatuor, sed ipsa una est: & quatuor sunt, sed in officio & in opere, nam corpus unum est. Et mulier, quam diximus, in illis tribus est, quia ipsa iniquitas est; sed pro locis in ista sola declaratur. In illo sexto libro diximus specialiter septem montes in quibus mulier meretrix sedet, id est, civitas Romana & Reges septem sunt: quinque ceciderunt, unus est, alius nondum venit. Et dum venerit, modico tempore oportet eum perseverare. In quo libro nomen & notam Antichristi expressimus. In hoc libro mulierem corruptelam dicimus, quam in illo libro civitatem Romanam nominavimus. Illuc specialiter septem montes: hic verò septem vitia. Illuc specialiter septem Reges; hic verò hos speciales Reges cum ipsis vitiis dissereamus. Ut spiritualiter & carnaliter miscendo, tempus præteritum, præsens, & futurum apertè declaremus. Frequenter diximus in unaquaque specie genus ostendere: nam quod est omnis bestia, hoc septem capita. Denique septem capita, & septem montes, dixit esse,

& septem Reges, id est, omnem omnino populum. Et omnes Reges, id est, omnes superbi, & montes; id est, ipsi superbi, omnia hæc populi sunt, id est, ipsa bestia: hoc argumento manifestum credas esse quod diximus. Dixerat enim mulierem super bestiam sedere: nunc dicit septem montes, ubi mulier sedet. Illa ergo capita, omnis populus est, & omnes Reges. Ipsa est bestia super quam sedet cuncta immunditia. Sicut autem in septem Ecclesiis specialiter nominatis totam Ecclesiam brevavit; ita in septem Regibus quos specialiter ostendit, omnes omnino Reges in his septem comprehendit: & non solum Regibus, qui populis Prælati regnant, sed omnes omnino in his dicit, in quibus vitia regnant: quos Reges, qui caput esse dicuntur, membra recognoscant, in quorum corpore copulantur, sicut dicit: *Quinque, inquit, ceciderunt, unus est, alius nondum venit, & cum venerit modicum eum oportet manere.* Usque in tempus quo hæc Joanni revelata sunt, quinque Reges ceciderunt: sextus fuit Nero, sub quo hæc vidit in exilio. Nam computamus à primo Rege qui in regno Romanorum primus sumpsit diadema, id est, primus imposuit in regno Romano in capite coronam. Testantur enim scripturæ Machabæorum, nullum Romanorum primitus accepisse purpuram, vel diadema, etiam cum jam Gallia potirentur, qua possessa accepit Gajus Julius Cæsar, qui primus apud Romanos singulare obtinuit Imperium, à quo Cæsares Romanorum Principes appellati sunt. Secundus Cæsar fuit filius sororis Julii, Octavianus nomine, qui etiam Augustus nominatus est, sub quo natus est Dominus noster Jesus Christus anno regni sui XLI. Ab his duobus Julio & Augusto, Julius & Augustus menses nomina acceperunt, qui antea unus Quintilis, alter Sextilis dicebantur. Tertius Tiberius,

sub

sub quo passus est Dominus (1) anno Imperii ejus quinto decimo : in quo anno etiam ad baptismum venit. Anno verò primo post baptismum , discipulos divinis imbuens sacramentis. In quo anno exordium suæ prædicationis adsumens , usque ad tricesimum quartum annum prædicasse probatur. Secundo anno post baptismum mirabilia quæ in Evangelio sunt , fecit. Tertio verò explicito , in quarto anno incipiente , pro nostra salute se subdidit passioni. Quartus Claudius , sub quo fames in Actibus Apostolorum describitur. Quintus Galba , qui regnavit annos tres , & menses sex. Sextus Nero. (2) Septimus Otho , de quo dixit nondum venit , & cum venerit , modicum eum oportet manere , qui est figura revelationis Antichristi : nam regnavit menses tres , & dies sex. Nam primus de Romanorum Regibus Nero fecit martyria post passionem Domini in Petro & Paulo Apostolis , qui etiam Nero Antichristum præfiguravit , pro eo quod cum à Senatu quæreretur ad pœnam , à palatio fugiens , ad quartum urbis milliarium in suburbano liberti sui inter Salariam & Mementanam viam semetipsum interfecit anno ætatis suæ tricesimo secundo , atque in eo omnis Augusti familia consumpta est. In quo Nerone sive in annorum suppuratione ætatis suæ , sive in Principatu Augustorum consumpto , sive & sibimetipsi facere interfectionem , in tota ejus actione Antichristum facere recognosce. Post

Li 2

Ne-

(1) Nonnulli Christum duobus Geminis (id est , 29 Eræ vulgaris anno) passum fuisse dixerunt. Alii , eo fuisse anno baptizatum. De his agere volens Auctor mutilè videtur transcriptus , cum eo quo passus est Dominus anno ad baptismum venisse ex textu imperfecto deduceretur , quod Auctori asserere non audeamus.

(2) Corrupti Codices , omittentes post Tiberium Caligulam , Galbam quoque præposterè Neroni anteponunt , cum Auctor post Neronem in Hispania imperium assumpsisse testetur verbis immediate sequentibus.

Neronem verò Galba in Iberia , Otho in Roma Imperium arripuit. Galba septimo mense Imperii sui in medio Romanæ urbis foro , capite truncatur. Otho tertio regni sui mense apud Vetricum propria manu occubuit , sicut & Nero. Vitellius à Vespasiani Ducibus occisus in Tiberim flumen projicitur. Hos duos Galbam , & Vitellium in sexto libro nominavimus , ubi & septem Reges diximus. Ita & in hoc libro septem iterum Reges describimus , quos non sine ratione , quia in eorum vita & fine Antichristum præfigurasse cognoscimus. Et hos septem Reges , septem capita bestię nominavimus , quam bestiam cum decem cornibus esse diximus , quia Antichristus suo tempore inter decem Reges Romanorum , qui non unus post unum , sed uno tempore regnabunt , inter hos decem undecimus apparebit. Et de decem tribus occisis , super reliquos septem in omni mundo principatum octavus tenebit. Et hæc est bestia quæ fuit , & non est , & ventura est. Miscet nunc Apocalypsis præsens , præteritum , & futurum , in quo tempore unam esse bestiam , & unum requiras corpus. Quæ bestia cum septem dicitur capitibus ; descriptis verò capitibus dicit in solidum : *Et bestia quæ fuit , & non est , & ipsa octava est* ; id est , sicut & caput. Genus , quod est generale , hujusmodi mysteriis non servatur : Propterea dixit *bestia octava*. Sicut deceptæ Evæ à

Gen. 3.
v. 15.

serpente dicitur : *Inimicitias ponam inter te & mulierem , & semen tuum & semen ejus : ipsa conteret caput tuum , & tu insidiaberis calcaneo ejus*. In una muliere totum semen ejus comprehendit. Sic in bestia totum semen ab initio mundi usque in finem. In uno enim totum ostendit corpus , sicut revelatur homo peccati filius perditionis Antichristus. Subtiliter autem ostendit , quæ sit altera bestia , quæ fuit , & non est , dum de

de ista dicit: *Et ipsa octava est.* Id est, sicut ille qui post septem visus est veluti occisus, & ipse octavus est, & ex septem est; id est, sicut & ille qui licet post septem visus sit, & velut occisus, resurrexit tamen ex septem, id est, ex mundi Regibus est; ita & bestia quæ licet alterius sit professionis, quòd Christo se atque ei commortuum dicat, id est, in pœnitentiam mactet; tamen octavus est, & ex septem corpus illius octavi qui inter septem visus est quasi occisus & vivus. Omnes unius corporis esse dixit sub diversa professione. *Et bestia quæ fuit & non est, & ipsa octava est, & de septem est, & in perditionem vadit;* id est, & ipsa ex septem supradictis est, sicut caput, in cujus corpus & in ædificationem nascens, in perditionem vadit. *Fuit, inquit, & non est, & ipsa octava est, & in perditionem vadit.* Miram rem! cum dicat *fuit, & non est, & octavus est.* Si illo tempore non fuisset, dicendum erat: *Octavus erit, & ex septem erit, & in perditionem ibit.* Si non fuisset illo tempore hæc bestia, ita dicendum erat: sed quia hæc bestia semper moritur, & semper nascitur, & semper ventura est, & semper in perditionem itura; proinde dictum est, *fuit, & non est, & ventura est, & in perditionem vadit.* Octavum verò dixit non solum ordine, quod post septem visus est; sed iste octavus, qui in bestia dictus est, semper in mysteriis spiritualiter intelligendus est. Quia in pseudoprophetis & Sacerdotibus hypocritis subtiliter in religione sub Christi nomine nuncupatus est, & ex septenario numero primus ipse est, & post septimum ipse dicitur esse octavus: ut sicut dies dominicus dicitur primus, & post septimum ipse primus reperitur octavus; ita & iste dicitur primus & octavus: primus, quia primam

cathedram Sacerdotalem invadit : octavus , quia ex septem capitibus est , id est , ex septem mundi Principibus in septenario numero perfectionis est. Sed tamen unum est , utputa una hebdomada est , quæ per septem dies est : sicut septem candelabra ex uno robore in tabernaculo testimonii , id est , in uno Christo septem Ecclesiæ , hoc totum est unum. In septem namque dæmoniis post primam perfectionem diaboli ostendit. Non enim in septem est perfecta nequitia , cum unus habuerit legionem. Octavum itaque veluti occisum & curatum , diabolus dicit & corpus ejus : Mentientes Dominum nostrum Jesum Christum & corpus ejus. In quo numero omne corpus & perfectionem adversitatis ostendit. Corpus quoque Domini in hac perfectione septiformis gratiæ devorat inimicos suos intestinos , & in finibus terræ qui in terram ejus & montes inrepunt. Sicut per Michæam prædictum est.

Pascet , inquit , in virtute gregem suum Dominus , & in gloria nominis Domini Dei eorum abundabunt. Propter quod nunc magnificabitur usque ad fines terræ , & erit iste pax , Assyrius cum venerit in terram vestram , & cum ascenderit in montes vestros : & exurgent super eum septem pastores , & octo morsus hominum , & pascent Assyrium in gladium. Septem pastores & octo morsus hominum Deus est cum corpore suo septiformi , id est , septem Ecclesiarum. Totum autem unum est , & filius hominis est. Propterea dixit , octo morsus hominum. Istud corpus accipit hereditatem gentium & possessionem terminos terræ , in quibus pascit Assyrium in virga ferrea , & ut vasa figuli comminuet eos. Et decem cornua quæ vidisti , decem Reges sunt. Non dixit decem cornua , sed & decem cornua quæ vidisti : dicendo , & decem cor-

Mich. 5.
v. 4.

nua decem regna sunt, ostendit & capita & cornua unum esse. Capita enim & cornua & Reges sunt & regna, quia neutrum sine se esse potest. Angelus denique Danieli in hoc numero nunc Reges, nunc regna manifestat, dicens: *Decem verò cornua, decem regna insurgent.* Post quæ regna Rex alius orietur: ipse quoque superegre dietur ceteros pristinos malos: ostendit in decem regnis & decem Reges dixisse, id est, omnes. Sic nunc & *decem cornua, quæ vidisti, decem regna sunt. Qui regnum nondum acceperunt.* Quod etiam ex genere decadum ostendit unum esse dicendo *Reges, qui regnum nondum acceperunt. Sed potestatem quasi Reges una hora accipiunt post bestiam.* Hoc loco istos decem Reges spiritualiter intellige. Decem enim Reges omnes omnino homines dicit à Christi passione usque in finem, in quorum cordibus vitia dominantur. Necdum, inquit, regnum acceperunt, quia necdum consummata sunt. Hoc enim agitur: *qui accipiunt* dixit, quia non dixit accipiant. Post bestiam verò quod dixit, id est, post caput illud quod occisum dixit, id est, post imitationem christianitatis: tempus enim describit à Christi passione & infra, quod horam appellavit. Hora enim aliquando omne tempus est. Sicut alio loco dicit: *Novissima hora est. Quasi Reges autem dixit. Quasi* aliquando somnium renuntiantis est. *Quasi videbam in hac nocte illud & illud:* quia veluti in somnis regnant, qui Christi regno adversantur. Sicut per Isaiam dicitur: *Et erunt*, inquit, *sicut somniantes. In somno divitiæ omnium gentium quotquot exercitum duxerunt super Jerusalem, & presserunt illam. Et erunt sicut qui in somnis manducant, & expergefæctis eis supervacuum est somnium. Et quasi qui somniat quod sitit, & quasi bibat, & experge-*

Dan. 7.
v. 34.

Isai. 29.
v. 7. &c.

*factus adhuc sitit anima ejus, inane speravit; ita erunt divitiæ omnium gentium quotquot exercitum duxerunt super Jerusalem, & super montem Sion. Si semper regnum gentium velut in somnis fuit; multo magis postquam lapide Christo de monte sine manibus absciso percusum in pedibus ferreis, & in pulvere tritum, subjectumque pedibus filii hominis, atque in servitutem traditum est. Hi unam sententiam habent. Certe quia hos decem Reges spiritualiter hoc loco disserimus, & decem pro perfecto ponimus: & hos decem Reges omnes omnino superbos & malos esse diximus: & hi omnes unam sententiam habent. Habent, dixit, non habebunt. Si hoc loco de præterito diceret, aut de futuro, dicendum erat, habuerunt, aut habebunt. Sed quia quotidie in Ecclesia geritur; proinde dixit, unam sententiam habent: & quemadmodum sint unius consilii exposuit, dicens: Et virtutem & potestatem suam bestiæ dant, id est, diabolo, cujus ministri sunt, & cujus virtus & regnum in eis principatur. Et quia de præsentī dictum est, propterea dixit dant, quia non dabunt. Hoc regnum diaboli inde dicitur, quia Agno semper adversatur, quia simplicibus & rectis corde, quod ille non habet, aliis invidet. Sed quotidie ab Agno superatur, quia ab ejus patientia confunditur. *Explicit explanatio.**

INCIPIT DE AGNO ET BESTIA SUPERATA.

Cap. XVII. **H**I decem Reges cum Agno pugnant, & Agnus vincet eos, quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum; & qui cum eo vocati, & electi, & fideles Et dixit mihi: Hæc bestia quam vides, ubi mulier sedet, populi & turbæ sunt, & gentes, & lin-

»linguæ. Et decem cornua quæ vidisti, hi odio habent
 »meretricem, & desertam eam facient & nudam, &
 »carnem ejus comedent, & ipsam comburent igni.
 »Deus enim dedit in corda eorum facere sententiam
 »ejus, & dare regnum suum bestię usquedum finiantur
 »dicta Dei. Et mulier, quam vidisti, est civitas mag-
 »na, quæ habet regnum super Reges terræ." *Explicit.*

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

HI decem Reges cum Agno pugnant. Et quia supra
 in decem Regibus omnes omnino malos compre-
 hendimus, hi cum Agno pugnabunt, quod est Chris-
 tus & Ecclesia unum corpus. Pugnabunt usque in finem,
 donec regnum omne percipiant, semper Ecclesiæ ad-
 versabuntur. *Et Agnus vincet eos, quoniam Dominus*
Dominorum est, & Rex Regum: & qui cum eo voca-
ti, & electi, & fideles. Vocati ad fidem multi sunt,
 sed electi, qui Ecclesiam faciunt, pauci reperiuntur.
 Propterea dixit *vocati, & electi*, quia non omnes vo-
 cati electi sunt. Sicut Dominus dicit: *Multi sunt vo-*
cati, pauci verò electi. Et dixit mihi, hæc bestia, quam
 vides, ubi mulier sedet, populi, & turbæ sunt, &
 gentes, & linguæ. Et decem cornua, quæ vidisti, hi
 odio habent meretricem; id est, semetipsos invicem
 odiunt, dum unus alium ad scandala provocat. Se in-
 vicem odiunt, dum nullus nulli bonus est. Et alio mo-
 do, unusquisque se odit, sicut dictum est: *Qui amat*
animam suam, perdet eam. Et qui amat iniquitatem,
odit animam suam. Sicut dicit: *Et desertam eam fa-*
cient, & nudam. Deserta anima dicitur, cum à Deo per
 opera mala deseritur: & cum deseruntur homines à Deo,
 ipsi per iram Dei desertum faciunt mundum, dum de-

Matth.
 20. v. 16.

Joan. 12.
v. 25.
Ps. 106.

diti malo sunt, & injuste utuntur. *Et carnem ejus comedent, & ipsam comburent igni.* Quod est, quod unusquisque se invicem devorant, ut & canes alterutrum se lacerant: & cum omni opere bono evacuati fuerint, gehennæ ignibus comburendi traduntur. Et adjecit causam, dicens: *Deus enim dedit in corda eorum facere sententiam ejus*; id est, excitavit facere ea quæ mundo jure merito irrogare decrevit. Et facere sententiam unam; id est, perditionem reddere unicuique secundum opera sua, quæ meritis suis unusquisque operatur, quod diaboli voluntate proficiat, quem Regem sibi esse demonstrat. Sicut dicit: *Et dare regnum suum bestię, usquedum finiantur dicta Dei*; id est, diabolo parere, donec impleantur Scripturæ. In quarto regno ferreo, quod est Romanorum, terram consummare, sicut in Daniele legimus: *Quartum erit regnum super terram, quod istis omnibus regnis prævalebit, & universam terram devorabit, & evertet eam, & delebit. Et mulier, quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ.* Quod est mulier, hoc civitas, hoc Reges terræ: Omnia hæc unum corpus est. Sic etiam de Ecclesia dictum est: *Veni, ostendam tibi mulierem Agni.* Hæc mulier Ecclesia est. *Et ostendit mihi civitatem descendantem de cælo*; quam cum describeret, dixit: *Et Reges terræ ferunt gloriam suam in eam.* Mulier Agni, & civitas, & Reges terræ, una Ecclesia est, & unum corpus est. Ecce duas civitates, unam Dei, & unam diaboli. Et ista mulier dicitur, & illa mulier: & in utrasque Reges terræ ministrant. Et Agnus Ecclesiæ suæ dat potestatem, qui est Christus, & virtutem suam, & gloriam suam ei dat: & draco, qui est diabolus, virtutem suam, & potestatem suam Ecclesiæ suæ; id est, congregationi suæ

Dan. 2.
v. 40.

Apoc. 21.
v. 9.

Vers. 10.
Vers. 26.

malignæ dat : & est bestia Agno semper contraria. Agnus habet septem oculos, & septem cornua ; & ille octavus dicitur quasi occisus , quia solum in carne, non in anima, & divinitate , est mortuus : & dicitur in septem cornua, id est, septem Ecclesias, quasi occisus, & resurrexit. Ita è contrario, bestia semper invisens Agno septem sibi aptavit capita : & ipsa est octava, quæ imitatur Agnum, qui dicitur quasi occisus & resurrexit. Hoc caput octavum intra Ecclesiam tenet primatum, cum per pseudosacerdotes & hypocritas sub simulatione sanctitatis Agnum præsefert de foris quasi occisum, & intus occultat rapacem lupum. Sed cum motionis occasione contra Ecclesiam insultatur, continuo agninâ pelli exuitur, per quam Agnum simulabat. Hæc quæ diximus, perspicue patet duas civitates esse, & duo regna, & duos Reges, Christum & diabolum : & ambo super utrasque civitates regnant. Omnis enim quisquis in regno diaboli est, jugo voluptatis suæ premitur, dum unusquisque libidine dominandi corruptus gradu suo inferiorem tyrannide grassatur, sicut in Evangelio Dominus dicit : *Scitis, quoniam qui putant principari gentium, dominantur earum, & majores earum dominium exercent in eas. Non ita est in vobis : Sed qui major vestrum voluerit esse, sit vester minister. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Hæ duæ civitates, una mundo, & una desiderat servire Christo : una in hoc mundo regnum cupit tenere, & una ab hoc mundo fugere : una tristatur, altera lætatur : una flagellat, altera flagellatur : una occidit, altera occiditur : una ut justificetur adhuc, altera ut impie agat adhuc. Hæ utræque ita laborant in unum, una ut habeat unde damnetur, altera ut habeat unde salvetur. Hic facit finem, & re-

q. 8
III. V. X.

Matt. 20. v. 25.

capitulat à tempore futuræ pacis clarissimæ prædicationis, cum magna potestate homines illuminantur; ita adiecit dicens quæ postea vidit. *Explicit liber nonus.*



INCIPIT LIBER DECIMUS

DE DIABOLI CIVITATE.

Cap.
XVIII.

„**P**Ostea vidi alium Angelum descendente de cæ-
 „lo, habentem potestatem magnam, & terra in-
 „luminata est à claritate ejus. Et clamavit in fortitu-
 „dine, dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, &
 „facta est habitaculum dæmoniorum, & custodia om-
 „nis avis immundæ, & spiritus inquinati. Quoniam ex
 „vino fornicationis ejus biberunt omnes gentes; & Re-
 „ges terræ cum ea fornicati sunt: & mercatores terræ
 „ex virtute gloriæ ejus divites facti sunt. Et audiui
 „aliam vocem dicentem: Exite de ea populus meus,
 „nec communicetis peccatis ejus, & plagis ejus, ne
 „lædamini, quoniam ascenderunt peccata ejus usque ad
 „cælum, & recordatus est Deus iniquitates ejus. Red-
 „dite illi sicut ipsa reddidit vobis, & duplate dupla
 „secundum opera ejus. In poculo quo miscuit, miscete
 „illi duplum. Quantum se clarificavit, & in delitiis ja-
 „cuit, tantum date ei cruciatus, & luctus: quoniam in
 „corde suo dicit: Sedeo Regina, & vidua non sum,
 „& luctum non videbo. Propterea in uno die venient
 „plagæ ejus: & mors, & luctus, & fames, & igni con-
 „cremabitur, quia fortis Dominus Deus, qui judicabit
 „eam. Et flebunt & plangent super eam Reges terræ,
 „qui cum ea fornicati sunt, cum viderint fumum in-

„cen-

„cendii ejus à longe stantes propter metum pœnæ ejus,
„dicentes : Væ , væ civitas magna Babylon , civitas for-
„tis : quoniam una hora venit damnatio tua. Et merca-
„tores terræ flent & lugent super eam , quoniam mer-
„ces eorum nemo emit jam. Merces auri & argenti , &
„lapidis pretiosi , & margaritæ , & byssi , & purpuræ ,
„& serici , & coccini (& omne lignum cedrinum , &
„vas eburneum , & omne vas ex ligno pretiosissimo)
„& æris , & ferri , & marmoris , & cinnamomum , &
„simila , & odoramenta , & unguentum , & thus , &
„vinum , & oleum , & milium , & frumentum , & ju-
„mentum , & pecora , & equi & rhedæ , & canes , &
„animæ hominum , & poma concupiscentiæ animæ tuæ ,
„abierunt à te : & omnia pingua & splendida perie-
„runt à te , & amplius ea non invenies. Mercatores ho-
„rum , qui ditati sunt , ab ea longe stabunt , & flentes
„& lugentes & dicentes : Væ , væ civitas magna induta
„byssinum , & purpuram , & coccinum , & ornata auro ,
„& lapide pretioso , & margaritis ; quoniam una hora
„desertæ sunt tantæ divitiæ , & omnis gubernator , &
„omnes qui in navibus navigant , & nautæ , & quot-
„quot mare operantur , à longe steterunt , & clamave-
„runt videntes fumum incendii ejus , dicentes : Quæ si-
„milis civitati illi magnæ ? & miserunt pulverem in
„capita sua , & clamaverunt flentes & lugentes : Væ ,
„væ civitas illa magna , in qua ditati sunt omnes , qui
„habent naves in mari , ex caritate ejus ; quoniam una
„hora deserta est. Et exultat cælum super eam , & Sanc-
„ti Apostoli , & Prophetæ , quoniam judicabit Deus ju-
„dicium de illa.” *Explicit historia.*

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

POstea vidi alium Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam, & terra inluminata est à claritate ejus. Et clamavit in fortitudine dicens: Cecidit, cecidit, Babylon illa magna, & facta est habitaculum dæmoniorum, & custodia omnis avis immundæ, & spiritus inquinati. Angelum quem dicit descendentem de cælo, Dominum nostrum Jesum Christum dicit, secundum carnem assumptum, & corpori Ecclesiæ suæ conjunctum. Civitas Babylon ipsa est, quam supra diximus, mulier, & bestia, & Reges terræ, id est, civitas diaboli, quæ facta est habitaculum dæmoniorum, & omnis avis immundæ. Numquid, si omnis mundus non esset hæc civitas diaboli, potuerat perspicue in una civitate omnes dæmones, & omnes aves in unius civitatis ruinam congregare? Sed hæc civitas totus mundus est. Nulla est itaque civitas, quæ omnem animam immundam capiat, nisi civitas diaboli, in qua omnis immunditia per orbem commoratur. Sicut dicit: *Quoniam ex vino fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum ea fornicati sunt*; id est, unus alterum in malo imitando, quia non est alius cum quo mali peccent. *Et mercatores terræ ex virtute gloriæ ejus divites facti sunt*: hoc loco divites non rebus, sed peccatis, dixit, nam nimietas luxuriæ pauperes potius quam divites facit. Quia & opera justorum divitiæ dicuntur, ita & opera impiorum rerum divitiæ sunt. *Et audivi aliam vocem de cælo dicentem: Exite de ea populus meus, ne communicetis peccatis ejus, & plagis ejus ne lædamini.* Plenius hic ostendit

Babylonem in duas divisam esse partes, id est, in populum Dei, & populum diaboli, externam & internam, ex qua munitus Dei etiam perspicue descendet populus sanctus, qui semper ex ea spiritualiter & animo descendit, & exiit, custodiendo observationem præceptorum Dei, sicut per Isaiam dictum est: *Exite de medio ejus, & separamini qui fertis vasa Domini, & immundum nolite tangere.* Vasa Domini ferunt, qui animas suas ab omni inquinamento iniquitatis custodiunt. Et cum nihil maledicto, facto, vel cogitatu perpetrantur, immundum tangere non dicuntur, & tunc à Babylonia exiri creduntur. In domo autem magna non sunt tantum vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia. Et quædam sunt in honorem, quædam in contumeliam. Si ergo quis mundaverit se ab his malis, erit vas in honorem sanctificatum, utile Domino ad omne opus bonum paratum. Quod autem dixit, *ne communicetis peccatis ejus, & plagis ejus ne lædamini*; id est, ne faciatis quod illi faciunt, quia scriptum est: *Iustus quacumque morte præoccupatus fuerit, anima ejus in refrigerio erit.* Quomodo ergo particeps peccati esse potest justus, quem cum impiis civitatis causa abstulerit, nisi civitatis diaboli aperta discessione celebrata notam bestię portaturus insidietur Ecclesię? Tunc enim notam bestię unusquisque portat, & cum malis communicat, cum una cum eis malitię exercet opera. Ut ergo frequenter dictum est, Babylonem pro locis, & à toto partem, à parte totum accipiemus: quia aliquando pars pro toto intelligitur, & totum pro parte. Sicut tres dies quibus Dominus in inferno fuit, cum non sint tres dies pleni, sed hos aperte plenos intelligimus. Ita & nunc Babylonem illam partem dicit de qua populus exiit. Nunc ipsam partem

Isai. 52.
v. 11.2. Tim. 2.
v. 20.

Sap. 4.

tem totum mundum, quia intra Ecclesiam duos populos diximus: unam Dei partem, & unam diaboli quæ Babylon vocatur. Et quia ab Ecclesia separatur, cum gentibus per omnem mundum communicare dicitur. Et si aliqua ita dicta sunt, non tamen arbitror ut videantur etiam in speciem posse convenire, ut aperte visum sit, quia hæc spiritualiter dicimus. Oportet enim improvisum venire diem Domini, quia aliter his, quorum è medio Ecclesiæ exiit, gaudentibus, improvisus esse non poterit, nisi signum decem Regum, & eversionis Babylonis civitatis, & adventus Eliæ aperte futurum putent. Qui autem in speciem convenire non possunt, ipsos in prioribus commemoravimus, quia hæc spiritualiter diximus, quia & decem Reges & in eversa Babylonia hodie intelligendi sunt, id est, de præsentis tempore: sed illi qui in hoc mundo spem habent, signum decem Regum, & adventum Eliæ futurum esse denuntiant, cum & de præsentis eversione sua non considerat Babylonia, de cujus medio dicit: *Exite de ea populus meus, ne commisceamini in peccatis ejus, & plagis ejus ne lædamin.* Quoniam ascenderunt peccata ejus usque ad cælum, & recordatus est Deus iniquitates ejus. *Reddite illi sicut & ipsa reddidit, & duplate duplum secundum opera ejus. In poculo quo miscuit, miscete illi duplum. Quantum se clarificavit, & in delitiis jactu, tantum date ei cruciatus & luctus.* Populo suo dicit Deus: *Reddite ei sicut ipsa reddidit.* Cum enim mali aperte contra Ecclesiam surgunt, dupliciter moriuntur. Primo, eo quod hic pro bono mala reddunt: secundo, eo quod in judicio ab Ecclesia separabuntur, & dupliciter pro facto tribulabuntur & conterebuntur. De Ecclesia enim exeunt in mundum plagæ

visibiles & invisibiles. *Quoniam in corde suo dicit: Sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo. Propterea in uno die venient plagæ ejus, & mors, & luctus, & fames, & igni concremabitur. Si in uno die morietur & concremabitur; quis erit vivus qui lugebit mortuum? aut fames quanta esse potest unius diei? Sed diem dixit breve tempus, eo quod spiritualiter & carnaliter affligentur. Reginam se dicit sedere, quia in delitiis multum se existimat vivere: Ecclesia verò in hoc mundo vidua dicitur, quia quasi vir suus Christus absens esse perhibetur, qui ad judicium eam vindicabit. Quia fortis Dominus Deus qui judicabit eam. Et flebunt & plangent super eam Reges terræ, qui cum ea fornicati sunt. Qui sunt illi Reges qui eam plagent eversam, nisi ipsi qui everuntur? quod enim est civitas, hoc Reges: quia cum caro moritur, anima in infernum mancipatur. Tunc civitas eversa dicitur, quia jam plangunt, non luxuriam horum qui secum peccant, sed ipsius victus defectionem. Cum viderint fumum incendii ejus; id est, documentum perditionis. Quia cum mala faciunt, quamvis carne vivant, in anima mortui esse creduntur. Et non adhuc ignis futurus, sed fumus ipsius ignis in opere ostenditur. Fumus enim ignem præit. Quid enim aliud est cassatio ista mundi & attritio, nisi fumus instantis gehennæ? A longe stantes propter metum pænæ ejus: longe stantes, non corpore, sed anima, dum unusquisque sibi timet quod alterum per calumnias, aut per potentias pati videt. Dicentes vae, vae civitas magna Babylon, civitas fortis, quoniam una hora venit damnatio tua. Spiritus dicit nomen civitatis, verum illi mundum plangunt, parvo admodum tempore penè interceptum, omnemque industriam labefactatam cessasse. Et*

mercatores terræ flent & lugent super eam. Ipsi sunt mercatores qui & civitas: lugent super eam, id est, se ipsos plangunt. Quoniam merces eorum nemo emit jam. Merces auri & argenti, & ferri, & cinnamomum, & omnia unguenta, & frumentum, & jumentum, & pecora abierunt à te, & amplius ea non invenies. Perierunt, inquit, à te, nec amplius ea invenies. Duplici genere dixit, quod deficient ista, mundo moriente; siquidem & discessionem futuram dicit, vel quod in fine sui istis utantur tametsi superfluant: eversa enim civitate, non diceret abierunt à te; sed abierunt ab illa: nemo enim loquitur, nisi cum vivo. Unde manifestum est, viventibus in hoc mundo dicere abierunt à te, non eversæ civitati. Mercatores horum, qui ditati sunt, ab ea longe stabunt, flentes & lugentes, & dicentes: Væ, væ civitas magna. Ipsi sunt mercatores, ipsi civitas magna: cum enim mala faciunt, mercatum facere dicuntur, quia quantum plus peccant, tantum plus delictorum divitias congregant. Quia hæc civitas quomodo in futuro erit arsuræ, jam nunc se in hoc mundo ad incendium præparat: & hæc modò spiritualiter in anima ardere dicitur, qualiter in postmodum corporaliter ab ipso cumulo peccati crucietur. Induta byssinum, & purpuram, & coccinum, & ornata auro, & lapide pretioso, & margaritis. Hæc homines induunt, non civitas: ipsi se itaque plangunt, dum moriuntur, & à suis bonis expoliantur. Quoniam una hora desertæ sunt tantæ divitiæ, & omnis gubernator, & omnes qui in navibus navigant, & nautæ, & quotquot mare operantur, à longe steterunt, & clamaverunt videntes fumum incendii ejus. Numquid omnis gubernator, & nautæ, & quisquis male operatur, in una hora præsentibus esse poterunt, ut videant incendium civitatis? Istos

omnes, quos nominat, sæculi amatores dixit, & cultores, & operarios istius mundi cum in malo labore versantur. Malum deinde sperant; quos ipsos dicit timere sibi, videntes spei suæ ruinam. Quod autem dicit *in navibus navigant*, non perspicue naves dicit; sed spiritualiter naves dicit quæcumque acquirendi genera in sæculo. *Dicentes: Quæ similis civitati illi magnæ?* id est, non posse mundo integrum restitui. *Et miserunt pulverem in capita sua.* Capita sua Principes illorum sunt, per quos se divites esse gloriantur, quibus præsentibus ista fiunt, Principum merita jactantes. *Et clamaverunt flentes & lugentes: Væ, væ civitas illa magna, in qua ditati sunt omnes qui habent naves in mari, ex caritate ejus; quoniam una hora deserta est. Exultat cælum super eam, & Sancti Apostoli, & Prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium de illa.* Sæpe diximus mare istum mundum dici: naves in mari caritate ejus omnes amatores mundi sunt, qui in hac civitate una hora deserti sunt, quia quandoque finem istius mundi habebunt. Horam enim finem dicimus, quam omne tempus istius sæculi esse non dubitamus, sicut scriptum est: *Novissima hora est.* Numquid super unam civitatem exultat cælum, & Sancti Apostoli, & Prophetæ? Aut sola civitas in omni mundo persequitur, aut persecuta est, servos Dei, ut, ipsa extincta, de universis vindicetur? Sed hæc civitas omnis omnino mundus est, & qui in prævaricatione maligni positi sunt; ipsa est hæc civitas, quæ & diaboli dicitur. *Explicit.*

INCIPIT DE EADEM CIVITATE DIABOLI.

“**E**T tulit unus Angelus fortis lapidem quasi molam rem magnum, & misit in mare, & dixit: Hoc impetu mittetur Babylon illa magna civitas, & ultra

Cap.
XVIII.
v. 21.

„jam non erit. Et vox citharædorum, & musicorum,
 „& tibia canentium, & tuba, non audietur in te am-
 „plius; & omnis artifex omnis artis non inveniatur
 „in te amplius, & vox molæ non audietur in te amplius:
 „& vox sponsi & sponsæ non audietur in te: quoniam
 „mercatores tui erant Principes terræ, quoniam à ve-
 „nificiis tuis erraverunt omnes gentes. Et in illa san-
 „guis Prophetarum & Sanctorum inventus est, & om-
 „nium occisorum super terram.” *Explicit historia.*

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET tulit unus Angelus fortis lapidem quasi mola-
 rem magnum, & misit in mare, & dixit: Hoc
 impetu mittetur Babylon illa magna civitas, & ultra
 jam non erit. Ecce instar perditionis ejus in emissionem
 lapidis, & impetu figuratur. Et vox citharædorum, &
 musicorum, & tibia canentium, & tuba non audie-
 tur in te amplius. Jocunditatem dicit transire impio-
 rum, & jam non inveniri: & adjecit causam, dicens:
Quoniam mercatores tui erant Principes terræ; id est,
quoniam in vita tua recepisti bona. Quoniam in vene-
ficiis tuis erraverunt omnes gentes. Et in illa san-
guis Prophetarum & Sanctorum inventus est, & om-
nium occisorum super terram. Numquid eadem civitas
 occidit Apostolos, quæ & Prophetas, aut omnes? Sed
 hæc est civitas, in qua Cain fratris sui sanguinem fu-
 dit, & vocavit nomen ejus ex nomine filii sui Enoc, id
 est, omnes posteritatis suæ. Sed quid est quod Cain
 sacrificium ex terræ fructibus reprobat? Abel autem
 sacrificium ex ovibus & earum adipe suscipitur? Aver-
 tit Deus oculos suos à sacrificio Cain, quia non fuit
 caritas in Cain: & nisi esset caritas in Abel non acce-
 p-
 p-

Gen. 4.
v. 17.

pisset Deus sacrificium ejus. Nemo putet quod Deus fructum terræ neglexerit, & fœtus ovium dilexerit. Non intendit Deus ad munus, sed in corde videt, & quem vidit cum caritate offerre, ipsius sacrificium respexit: quem verò vidit cum invidia offerre, ab ipsius sacrificio oculos avertit. Cum utrique offerrent, descenditque ignis super sacrificium Abel, & non descendit in munera Cain, hæ sunt duæ civitates: una Dei, & una diaboli. Nam septem generationes descriptæ sunt Cain. In ejus civitatis ædificium funditur omnis sanguis justus; à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ; id est, populi & Sacerdotis: in medio templi & altaris: id est, inter populos & Sacerdotes. Alia enim non fuit causâ, ut hæc diceremus, nisi ut duas civitates ostenderemus. Ecce duo filii in una domo patris & matris: unus simplex, oves simplices pascit, & in campos Scripturarum discurrit: & alius civitatem facit, quia ibi habet spem in terra, ubi habitaculum corporis figit. Hæc civitas, quæ interficit Prophetas, & lapidat missos ad se. Hæc est civitas, quæ sanguine construitur, sicut scriptum est: *Væ qui ædificant civitatem in sanguinibus, & parant civitatem in injustitiis. Nonne hæc sunt apud Deum?* Et quæ sit ista civitas, idem Dominus probat, dicens: *Audite itaque hæc doctores Jacob, & reliqui Domus Israel, qui aspernamini judicium, & omnia recta pervertistis. Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Jerusalem in injustitiis, qui Principes ejus estis. In hac civitate singulorum officia singillatim supra disseruit, vel ad audienda hæc in ea ultra disposuit. Propter quam causam sic judicatur, interserit: In ea, dixit, sanguis Prophetarum, & Sanctorum inventus est, & omnium qui interfecti sunt super terram. Explicit.*

XIX. 40

Gen. 4.
v. 17.Matth.
23. v. 35.Mch. 3.
v. 10.

Ibi.

INCIPIT HISTORIA DE CIVITATE DEI.

Cap. XIX. **P**ost hæc audiui quasi vocem magnarum turbarum in cælo dicentium: Alleluia: Salus, & gloria, & virtus Deo nostro, quia vera & iusta iudicia sunt ejus, qui iudicavit de meretrice magna, quæ corripit terram in fornicatione sua, & vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus. Et iterum dixerunt: Alleluia. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum. Et ceciderunt viginti quatuor seniores, & quatuor animalia, & adoraverunt Deum sedentem in throno, dicentes: Amen, & Alleluia. Et vox de throno exiit, dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus; & qui timetis eum, pusilli, & magni. Et audiui vocem quasi tubæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut voces tritorum magnorum, dicentium: Alleluia: quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & glorificemus nomen ejus: quoniam venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se. Et datum est illi, ut cooperiatur byssino splendenti candido. Byssinum enim justificationes sunt Sanctorum. Et dicit mihi: Scribe: Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dicit mihi, verba ista vera esse omnipotentis Dei. Et cecidi ad pedes ejus ut adorarem eum. Et dixit mihi: Vide ne feceris: conservus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu. Deum adora. [Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ.] *Explicit.*

INCIPIT EXPLANATIO

suprascriptæ historiæ.

Post hæc audiui quasi vocem magnarum turbarum in cælo dicentium : Alleluia : Salus , & gloria , & virtus Deo nostro , quia vera & justa judicia sunt ejus : quoniam judicavit de meretrice magna , quæ corrupit terram in fornicatione sua . Et vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus . Et iterum dixerunt : Alleluia . Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum . Hæc Ecclesia dicet cum separatio facta fuerit in die judicii , & cum apertius fuerit vindicata : exultare Sanctos super perditione prævaricatricis civitatis advertimus , & laudare Dominum in jubilo laudis adtendimus . Quid hoc aliud , nisi malorum retributio , & bonorum remuneratio esse describitur ? Hoc est illud quod Daniel dicit , quod alii resurgent ad vitam æternam , alii in opprobrium sempiternum , ut videant semper . Inde est illud quod dicitur : Fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum . Denique ut Sanctorum lætitiā apertius declaret , adjecit : Et ceciderunt viginti quatuor seniores , & quatuor animalia , & adoraverunt Deum sedentem in throno , dicentes : Alleluia . In affectum boni amoris Sanctorum corda conversa sunt , & præ exultatione & jocunditate perceptarum promissionum adoraverunt Deum in laude dicentes : Alleluia . Et vox de throno exiit dicens : Laudem dicite Deo nostro servi ejus , & qui timetis eum , pusilli & magni . Non ergo ulla potest creatura laudare Dominum , nisi de throno Dei munus laudationis acceperit , & vocem sanctæ inspirationis audierit . Et audiui quasi vocem tubæ magnæ , & sicut vocem aquarum multa-

Dan. ix.
v. 2.

rum, & sicut voces tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia: quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus & exultemus, quoniam venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se. Et datum est illi ut cooperiretur byssino splendenti, candido. Uxor Agni Ecclesia est. Byssinum enim justificationes sunt Sanctorum. Post conlatam gratiam, post auditam adorationis vocem, in magnitudine proclamatum est, & quasi vox tonitruorum audita dicentium laudes Deo, & exultantium, eo quod nuptiæ Agni venerunt. Hoc factum erit in die judicii, quando post consummationem mundi evaquaverit principatus & potestates, & tradiderit regnum Deo Patri, ut sit Deus omnia in omnibus: quando uxor ejus, hoc est, Ecclesia Catholica, fide illi puritate conjungetur: de qua beatus Apostolus dicit: *Spondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Denique byssum, quo induitur, non pro vestium pulcritudine ponitur, sed pro justificationibus Sanctorum. Et dixit mihi: *Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*. Et dixit mihi, verba ista vera esse omnipotentis Dei. Et cecidi ad pedes ejus ut adorarem eum. Et dixit mihi: *Vide ne feceris: conservus tuus sum & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora*. In initio libri dixerat: *Ego sum primus & novissimus, qui fui mortuus*. Nunc autem dicit: *Conservus tuus sum, & fratrum tuorum*. Ostendit Angelum missum esse in figuram Domini & Ecclesiæ. Nam in fine istius libri dicit: *Ego Jesus misi Angelum meum testari vobis in Ecclesiis hæc*.

Et testimonium Jesu est spiritus prophetiæ. Quærendum nobis est: Qui sunt ad cœnam Agni vocati, nisi quibus dicitur: *Non bibam de hoc genimine vitis* bu-

1. Cor. 15
v. 24.

2. Cor. 11
v. 2.

Matth.
26. v. 29.

hujus, donec novum illud bibam vobiscum in regno Patris mei, qui in cælis est? Hæc pro Judæis dicebat, non bibam de hoc genimine vitis, donec novum illud vobiscum bibam in regno Patris mei. Hunc calicem passionis promittebat Apostolis, id est, primæ Ecclesiæ, quem & ipse primitus bibiturus erat novum in regno Patris, id est, in Ecclesia. Et iterum: *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cælorum*, hoc est in Ecclesia. Regnum cælorum præsens Ecclesia est, in qua per baptismum & passionem salvantur: hoc est novum calicem bibere, novam resurgentium corporum præparare justitiam. Hi beati sunt, qui ad cœnam, & ad hoc convivium præparantur. Unde *Et dicit, Verba ista vera esse omnipotentis Dei*. Alii enim verba Dei dicunt, sed verba non sunt, quoniam ad eum quidem [cui loquuntur] seductionem loquuntur. Et auditis imperiis regalibus, & Dei præceptis, cecidit ut adoraret eum qui loquebatur ei: sed ille ut & officii promeret qualitatem, & Deum esse super omnia demonstraret, prohibuit dicens, *ne faceret, quoniam conservus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium Jesu*. Testimonium Jesu catholicæ confessionis est mira professio. *Testimonium enim Jesu spiritus prophetiæ per legem, & Prophetas, & per Evangelium, & Apostolos: spiritus enim prophetiæ veritas, judicium, & justitia est, quæ in Catholicæ Fidei plenitudine continetur. Explicit liber decimus.*

Matth. 8.
v. 11.



INCIPIT LIBER UNDECIMUS

DE EQUO ALBO.

ET RECAPITULAT A PASSIONE CHRISTI
brevius.

Cap. XIX
v. 11.

ET vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocatur Fidelis, & Verax, & justitiâ judicat, & pugnat. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse: & vestitus erat veste adpersa sanguine: & vocabatur nomen ejus Verbum Dei: & exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, induti byssinum album, mundum. Et ex ore ejus procedit gladius acutus, ut in eo percutiat gentes: & ipse pascit eas in virga ferrea, & ipse calcatur torcular vini indignationis iræ Dei omnipotentis. Et habet super vestimentum, & super femur suum nomen scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominorum." *Explicit historia.*

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis & Verax, & justitiâ judicat, & pugnat. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste adpersa sanguine: &

vocabatur nomen ejus Verbum Dei. Equus albus corpus Christi adsumptum est, & qui sedebat super, Dominus majestatis est: Verbum Patris altissimi est: Unigenitus ingeniti est: id est, Divinitas incarnata. Iste equus est, quem in quarto libro scripsimus, qui contra roseum, nigrum, & pallidum pugnat, quia pro nobis pugnat & vincit: Unde & prosperitas nominis ejus exprimitur, qui *Fidelis & Verax* vocatur; de Deo enim dicitur: *Deus fidelis, in quo non est iniquitas. Et justitiâ judicat, & pugnat.* De ipso enim scriptum est: *Deus judex justus, fortis, & patiens.* Pugnat enim fortis, liberando nos ab adversitate peccati: patiens, sustinendo quæ deliquimus. Dum fortis dicitur, ad adversa repellenda monstratur. *Oculi autem ejus sicut flamma ignis.* Ut enim incendium, penetrat corpus & omne quod continet, nec exceptam aliquam deserit portionem. Unde dicitur *caput viri* 1. Cor. 10
v. 13.
Rom. 9.
v. 14.
Psal. 7.
v. 12. *Christus est. Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur in equis albis, induti byssinum album, mundum.* Equi albi Sancti sunt, quod est Ecclesia: in corporibus candidis imitantur eum, & secuntur vestigia ejus, sicut supra dictum est: *Hi sunt qui secuntur agnum quocumque ierit.* Induti byssinum mundum, id est, unusquisque induitur orationibus, & operum bonorum suorum factis. *Et ex ore ejus procedit gladius acutus, ut in eo percutiat gentes: & ipse pascit eas in virga ferrea: & ipse calcit torcular vini indignationis iræ Dei omnipotentis.* Gladius, qui ex ore ejus procedit, verbum est prædicationis. Ipse est gladius, quem in primo libro de ore ejus procesisse descripsimus. De eo gladio armat fideles. *Et ipse calcit torcular vini indignationis.* Ipse est torcular, quem in septimo libro descripsimus. Calcit enim modò, quia ip-

ipse pugnat pro Ecclesia donec in futuro extra civitatem Ecclesia calcet; & quia Ecclesiæ caput est. Patet est, quia in ipso per baptismum regenerantur universæ nationes terræ. *Et habet super vestimentum & super femur suum nomen scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominorum.* Femur illius, in quo scriptum est nomen ejus, credentium populi sunt, quos Dei filios, id est, Christi filios, per adoptionem fidei voluit nominare: vestis ejus corpus est quod assumpsit. Et quia geminæ substantiæ una persona est, ideo in veste nomen scriptum legimus, id est, in sacramento dominici corporis divinitatem cognoscimus. In quo vestimento corporis scriptum legitur nomen ejus: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Et vestimentum erat super femur suum. In femore stirps generationum intelligitur. In vestimento corpus Christi diximus. Et ideo in femore, quia omnes qui per fidem, ut diximus, filii Dei nuncupantur, hunc Regem Regum, & Dominum dominantium indefessa confessione testantur. Apertissime cognoscitur hoc nomen in femore neminem superborum cognoscere, nisi hos quos supra diximus. *Explicit explanatio.*

INCIPIT HISTORIA ANGELI STANTIS in Sole.

Cap. XIX
v. 17.

ET vidi unum Angelum stantem in Sole, & clamavit voce magna, dicens omnibus avibus quæ volant in medio cæli: Venite, congregamini ad cœnam magnam Dei, ut manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium & carnes equorum, & sedentium super eos, & carnes omnium liberorum, & servorum, & pusillorum, & magnorum.

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET *vidi Angelum stantem in Sole, & clamavit voce magna dicens omnibus avibus quæ volant in medio cæli.* Sol enim prædicatio est Ecclesiæ, & confessionis fides: aves vel bestias pro loco accipimus bonas & malas. Hoc ergo in loco aves volantes in medio cæli unam Ecclesiam dicit, quasi unum corpus redigens. Ipsæ sunt istæ aves, quæ & illa Aquila, quam in libro quinto, Væ clamantem descripsimus, quos & hic aves dicit volantes in medio cæli. *Venite, congregamini ad cænam magnam Dei, ut manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum & sedentium super eos, & carnes omnium liberorum, & servorum, & pusillorum, & magnorum.* Omnes hos quos dixit, spiritualiter comedit Ecclesia, dum comeditur. Supra enim dixit: *Vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocatur Fidelis;* hic verò dicit: *Vidi unum Angelum stantem in Sole.* Et nota quia illic sedet, & hic stat. Stare enim pugnantis est: hoc ad novissimam persecutionem Antichristi pertinet. Iterum quamdam apostropham facit, & prætermissa iudicii qualitate rursus ad finem temporum saltu quodam propheticæ dictionis adducitur: Angelum enim vidit stantem supra Solem. Sol enim, ut diximus, Ecclesiæ Catholicæ fides est, in qua hic Angelus stare describitur. Iste est Angelus, quem supra in sexto libro Michaelē cum dracone pugnare descripsimus. De quo etiam & Daniel ita dicit: *In tempore autem illo consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui.* Sicut enim tunc pro filiis prioris populi in conspectu Dei

Dan. 12.

v. 1.

Dei iste Sanctus stabat Archangelus ; ita nunc pro totius Ecclesiæ Catholicæ populis indesinenter interve-

Ibidem.

nit. *Et veniet*, inquit, *tempus quale nunquam fuit ab eo quod gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud: in quo tempore dicit Sanctus Joannes in hac sententia Apocalypsis, quod congregentur aves terræ ad impiorum corpora consumenda. Sicut per Isaiam Do-*

Isai. 34.

minus dicit: Accedite gentes, & audite Principes: audiat terra, & qui habitant in illa; quia indignatio Domini super omnes gentes, & adveniet ira super numerum ipsorum, ad perdendum illos tradere in jugulationem. Vulnerati autem ipsorum projicientur mortui, & ascendet odor eorum, & complebuntur montes sanguine ipsorum. Et involvetur cælum sicut liber, & omnes stellæ cadent sicut folia vitis. Quia sacrificium Domini in Bosor: & jugulatio magna in Idumæa; & concident ipsi robusti cum illis, & arietes, & tauri: & inebriabitur terra sanguine illorum, & adipe illorum implebitur. Dies enim judicii Domini, & annus retributionis judicii Sion. Et convertentur rupes ejus in picem, & humus in sulphur, & erit terra ejus ardens sicut pix die & nocte. Non collocabitur in sempiternum tempus, & ascendet fumus ejus rursum in sæcula. Ostendit quæ sit Idumæa, & Bosor, dicens: Dies enim judicii Domini, & annus retributionis judicii Sion; sed illius Sion, qui ædificatur in sanguinibus. Ostendit præterea in omnibus gentibus esse Idumæam & Bosor. Dixit enim supra: Accedite gentes, & audite Principes: audiat terra, & qui habitant in illa, quia indignatio Domini super omnes gentes. Postea verò dicit in unam gentem descendere gladium Domini, in jugulationem, id est, in Idumæa & Bosor. Dies enim judicii Domini & annus re-

tri-

tributionis iudicii Sion. Ecce unam regionem dixit, & duas civitates. Idumæa regio est Esau, qui dictus est Edom, id est, sanguineus. Bosor verò civitas est Esau in ipsa regione. Sion autem civitas est David, qui fuit de stirpe Jacob. Ecce Esau & Jacob duæ civitates sunt, una Dei, & una diaboli. Supra enim in decimo libro diximus de his duabus civitatibus, quas esse duos filios Adam exposuimus. Nunc verò ita in duos filios Isaac ipsas duas civitates retexuimus, id est, Dei, & diaboli: & hæ sunt duæ civitates, Sion & Bosor. Sion latino eloquio speculatio contemplationis dicitur, id est, in monte quod puto, & ipsa civitas in monte esse perhibetur, Propheta attestante: *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion.* Et hæc est Ecclesia Catholica, quæ non in uno loco, ut hæreticorum conventicula, sed per universum orbem terrarum tenetur dilatata. Bosor verò, quæ est civitas persecutoris fratris, & Idumæa, quæ est terra sanguinis, omnis omnino mundus est: & ipsa est civitas diaboli, quæ usque in finem sæculi civitatem Christi persequitur: & in una nascitur Christus, & in alia Antichristus. Propterea dicit, gladium Domini in jugulationem in Idumæa & Bosor, id est, in malos fratres, qui se Sion mentiuntur, sicut scriptum est, *populum Dei hostium sanguinem bibere.* *Explicit explanatio.*

*Isai. 40.
v. 9.*

INCIPIT DE BESTIA, ET REGIBUS TERRÆ.

“ET vidi bestiam, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo albo, & cum exercitu ejus. Et adprehensa est bestia, & cum illa pseudopphetæ, qui fecerunt signa in conspectu ejus, in quibus

Cap. XIX
v. 19.

„seduxit accipientes notam bestiae, & adorantes simulacrum ejus. Viventes missi sunt ipsi duo in stagnum ignis ardentis in sulphure. Reliqui verò occisi sunt gladio sedentis super equum, exeunte de ore ejus; & omnes aves saturatae sunt de carnibus eorum.”

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET *vidi, inquit, bestiam, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo albo, & cum exercitu ejus.* Jam supra diximus, bestiam & Reges terræ unum esse, id est, diabolum & populum ejus, super quos regnat, quos etiam in unum congregat, quos in suo corpore ligat: bellum facit, quia contra Christum & Ecclesiam pugnat. Sed hoc dicit de novissimo certamine Antichristi, in quo finis suæ damnationis ad supplicium rapietur. Si & his conferas Sancti Danielis eloquia, unum atque idem invenies: quia cum Sancto

*Dan. 12. Joanne concordat: Veniet autem, ait, in multitudine
v. 44. magna, ut conterat & interficiat plurimos.* In Apocalypsi autem dicitur, quod cum Regibus terræ, & eorum exercitibus congregatis, faciat bellum cum illo qui sedebat in equo albo, hoc est, Domino Jesu-Christo, & cum exercitu ejus, id est, Sanctis omnibus, qui secuntur eum. *Et adprehensa est bestia;* id est, diabolum, & corpus ejus, quem populum sibi subditum diximus. Et Daniel dicit: *Nemo auxiliabitur ei.* Domino pugnante contra eum nullus ei poterit ferre præsidium. *Et cum illo, inquit, pseudoprophetae,* id est, præpositi, quod sunt Pseudoepiscopi, & Sacerdotes eorum similes mali, quos supra in illa bestia caput velut occisum diximus. Ipsi sunt in Ecclesia spiritus immundus,

dus, qui falsa prodigia ad fallendos homines facit as-
 pectu ante eum, *qui seduxit eos qui acceperunt ca-*
rafterem bestiae. In his portentis mendacibus sedu-
 cendi sunt omnes qui crediderint Antichristo, ut acci-
 piant caracterem inimici. *Et adorantes simulacrum ejus;*
 id est, illud caput velut occisum, quod sub nomine
 Christi Sacerdotes se esse simulant. Si aperte bestia
 esset, Agnus eam non timeret. Nunc Agnum simulat,
 cum vestem sacerdotalem sibi imponit. De foris quidem
 Agnus est, intus bestia fremit. *Hi duo viventes missi*
sunt in stagnum ignis ardentis in sulphure. Unum
 corpus divisit in partes, id est, bestiam, quæ est po-
 pulus, & ipsos pseudosacerdotes. Nam duo viventes
 certissime populus & ipsi præpositi sunt, quos Domi-
 nus in diem judicii vivos invenerit. *Reliqui verò occisi*
sunt gladio sedentis super equum, exeunte de ore
ejus: & omnes aves saturatæ sunt de carnibus eorum.
 Supra enim dixit in Angelo super solem avibus, *Venite*
congregamini ad cænam magnam Dei, ut manducetis
carnes. Hic verò dicit: *Omnes aves saturatæ sunt de*
carnibus eorum. Duobus modis hoc accipiendum est,
 nunc & in futuro. Cum dicit *manducate*, modò est:
 & cum dicit *saturatæ sunt de carnibus eorum*, futu-
 rum est in judicio Domini nostri Jesu-Christi. Spiritu
 oris ejus interficientur universi, id est, bestia & pseu-
 dopheta, & qui in membris inventi fuerint Anti-
 christi, qui acceperunt caracterem, & crediderunt illi,
 & exponentur carnes eorum volatilibus cæli, & bestiis
 terræ. Modo verò omni tempore comedit Ecclesia car-
 nes inimicorum suorum, cum ab eis male patitur, &
 malum pro malo non reddit. Saginatur autem in resur-
 rectione de eorum carnali opere vindicata, sicut scrip-
 tum est: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum*

Isai. 66.

non extinguetur : eruntque ad visionem omni carni.
 Post adventum autem Domini, & bestię damnationem, unusquisque occidetur gladio manifestus avibus comedendus, cum corporibus tunc resurgant, ut omnes integri judicentur. *Explicit.*

INCIPIT DE ALIO ANGELO.

Cap. XX. **E**T vidi alium Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et tenuit draconem, & anguem antiquum, qui est diabolus, & Satan, & ligavit eum annis mille : & misit eum in abyssum : & clausit, & signavit super eum, ne seducat amplius gentes, usque dum finiantur mille anni. Post hæc oportet eum solvi modico tempore."

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET vidi alium Angelum descendentem de cæli : Dominum Jesum dicit primo adventu. Habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et tenuit draconem, anguem antiquum, qui est diabolus, & Satan, & ligavit eum annis mille : & misit eum in abyssum : & clausit, & signavit super eum, ne seducat amplius gentes, usque dum finiantur mille anni. Intentius hic nobis invocandus est Dominus, ne in mille annorum numero multorum simus consentientes errori, neque per excessum proprium ipsi nutriamus errorem, sed custodiat fidem nostram ipse qui Fidelis vocatur & Verax. Ipse Dominus dicit in principio libri hujus, quia ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & habeo claves mortis, & inferni,

ut

ut intelligas ipsum esse istam clavem, qui est illa quam in principio libri descripsimus. *Clavem* verò hanc Ministri deferre nunc dicit officium, ut aperiret puteum abyssi. *Catena magna* indissolubile divinæ ordinationis est vinculum, quam in manu sua, id est, opere & abjectione gestabat. In manu enim opera dicit. *Et apprehendit draconem*, hostem humani generis, *qui vocatur diabolus, & Satanas*, & *ligavit eum annis mille*. Primo utique adventu suo Dominus adprehendit diabolum, cujus hic mundus domus erat, qui in cordibus infidelium habitabat, de qua Dominus dicit: *Quis potest intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi prius alliget fortem?* Quem comprehendit & misit in abyssum, id est, in populum, & exclusit de cordibus credentium. Mille enim in græcis apicibus alpha est titulum. In alpha initium, quod est Christus, in titulo crux intelligitur, quæ est nostra victoria, & depressio malignitatis adversæ. Ergo in cruce Christi & in crucis auctoritate conligavit inimicum mundi, qui tentabat habitantes super terram. Nam æternitati illi nullum tempus occurrit, & ipsius temporis æternitas nullo fine claudenda est, nec annorum numeris erit finienda: & ita ex imperio Domini per virtutem crucis in abyso eum religavit. *Et signavit super illum*, id est, pessulum crucis apposuit, ut non convalescat ultra, nec *seducat amplius gentes*, quas utique restituet resurrectio meliores. Interdixit eum ne seducat gentes, sed eas, quæ in vitam destinatæ sunt, quas antea seducebat ne Deo conciliarentur. Post adventum Christi jam non seducet, quia ad vitam æternam jam destinati sunt. Quod autem dixit *signavit super eum*, quia occultum est, qui pertineant ad partem diaboli, & qui ad Christum. Nam & qui videntur stare, nescimus si

Matth.
12.v.29.

Ps. 104.
v. 8.

cadent: & qui jacet, si resurgat, incertum est. Ne seducat, *donec finiantur mille anni*, id est, quod remanet de sexto die, qui constat ex mille annis. Quia sexto die Deus hominem fecit, & in sexta ætate sæculi homo natus est Christus, quem nunc diem nominat. Mille annos dixit partem de sexto milliario, in quo natus est Dominus & passus. Mille autem pro eloquendi modo dicit, sicut est illud intelligendum *quod mandavit in mille generationes*, cum non sint mille; sed à parte totum intelligitur aliquando. Ergo audiendi non sunt qui dicunt, quod de Christi nativitate usque ad secundum adventum Domini mille anni sunt, qui cum Eunomio (1) hæretico una sentiunt. Sed neque illi audiendi sunt qui dicunt, omnibus baptizatis & absque pœnitentia defunctis, nullum imputari peccatum aut crimen, quia in fide manserunt: &, si in infernum mergantur, post mille annorum curriculum liberandi sunt: non intelligentes, Dominum dicturum peccatoribus esse: *Ite in ignem æternum*, cum æternum, finem non habeat. Isti cum Eunomio & Origine hæreticis unà sentiunt. Est tamen huic expositioni contrarium quod sequitur, *donec consumantur mille anni*, ut diabolus solvatur, sicut dicit: *Post hæc oportet eum solvi modico tempore*. Sed sic potest intelligi, quousque voluntate Domini nostri Jesu-Christi & imperio ejus, & in virtute præcipientis, in nihilum solvatur. In modico tempore, hoc est, in puncto horæ, id est, in fine mundi solvatur, & totis viribus in illo suo vase intret Antichristo, ut cum eo simul deficiat. Solvetur ut faciat juxta voluntatem suam. Antea dixit: *Ero similis Altissimo*: nunc verò, cum ingressus fuerit in filio per-

(1) *Æmilian. C.* cum Cirinto.

ditionis, superiorem se Deo facturus est, & *elevabitur* ^{2. Thes. 2.}
super omne quod dicitur Deus, aut colitur. Nam non ^{v. 4.}
 solvetur ut liberetur; sed ad hoc solvetur, ut cum om-
 nibus membris suis ipse auctor tenebrarum solvatur in
 nihilum, & deficiat, & simul cum eis in perditionem
 æternam vadat. Sua enim solutio in homine peccati
 Antichristo erit ingressio. In quo tantam potestatem
 persequendi habebit in mundo, qualem numquam ha-
 buit ab initio. *Explicit explanatio.*

INCIPIUNT THRONI, ET ANIMÆ occisorum.

“**E**T vidi thronos, & sedentes super eos, & judi- ^{Cap. XX.}
 cium datum est eis: & vidi animas occisorum ^{v. 4.}
 „propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei,
 „& quicumque non adoraverunt bestiam, neque ima-
 „ginem ejus, & non acceperunt notam super fron-
 „tem suam, aut super manum suam, vixerunt & reg-
 „naverunt cum Christo mille annos. Beatus, & Sanc-
 „tus, qui habet partem in resurrectione prima: in eis
 „secunda mors non habebit potestatem: sed erunt
 „Sacerdotes Dei & Christi ejus, & regnabunt cum eo
 „mille annos.”

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET vidi thronos, & sedentes super eos, & judi-
 cium datum est eis. Hi throni modo sunt in Ec-
 clesia, quæ Ecclesia in duodenario est numero consti-
 tuta, quæ sedet in Christo super duodecim thronos ad
 judicandum: & jam sedet judicans ligato diabolo, si-
 cut scriptum est: *Jam Sancti mundum judicant.* Et

Dominus cum hanc potestatem suis promitteret, sic ait: *Vos qui secuti estis me, in iterata generatione cum sederit filius hominis in throno claritatis suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos judicantes XII. tribus Israel.* Filius autem hominis jam sedet in throno claritatis suæ, ex quo clarificatus est in Domino. Thronus claritatis suæ incarnatio est; in cujus corpore adjicitur omnis Sanctorum iterata generatio, & sedet ad dexteram virtutis per caput judicans pro Sacerdotibus suis, & omnibus servis suis. Nunc in Ecclesia judicat, quia unusquisque semetipsum distringit in pœnitentiam, & unus alterum ad caritatis amorem excitat. Sic enim Apostolus ait: *Si nos metipsos judicaremus, à Domino non judicaremur.* Et alibi: *Si sciero omnia sacramenta: & habuero omnem fidem ita ut montes transferam, & tradidero corpus meum ut ardeam, si caritatem non habuero, nihil mihi prodest.* Ecce quomodo Sancti mundum judicant. De præsentem, hoc loco, non de futuro, Dominus dixit. Non enim dixit: *Sedebitis, & judicabitis*, quasi de futuris, sed *sedebitis judicantes.* Dicit & de sanctis sepultis: *Et vidi animas occisorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei.* Verbum dixit & carnem: ambobus enim perhibet Ecclesia testimonium Jesu, qui est filius hominis & Dei Verbum, quod mixtum est filio hominis. Animas occisorum dicit, qui nunc per passionem & pœnitentiam cum Christo moriuntur. *Et quicumque non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, & non acceperunt notam super frontem suam, aut super manum suam, vixerunt & regnaverunt cum Christo mille annos.* Si autem in novissimo judicio vidisset thronos, & sedentes super eos, non dixisset *occisorum animas.* Tunc enim cum

1. Cor. II
v. 31.
Cap. 13.
v. 2.

corporibus suis erunt animæ. Certe si cum Christo aliqui sedebunt ad judicandum, eis magis convenit sedere & judicare, qui propter testimonium ejus occisi sunt. Nunc verò dicit se vidisse *sedentes super thronos*, dixit & *animas occisorum*, ut ostenderet & vivos & mortuos regnasse *cum Christo mille annos*, id est, à passione Domini usque ad secundum ejus adventum: & à primo adventu Domini usque ad secundum adventum esse hoc mysterium facinoris de nota bestię; quia semper & Ecclesia fuit, & bestia: & omnis malus notam in fronte & in manu habuit per cognitionis opera. Dum & ipsos qui non acceperunt scriptionem, vel non adoraverunt ejus imaginem, mille annos dicit hos omnes regnasse, imaginem dicit, & similitudinem. Sic enim Deus dicit in primordio: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Imago est in anima, & similitudo in opere: anima hominis imago est Dei: & corpus hominis imago est corporis Christi. Omnis qui Christum sequitur in corpore suo, imaginem Christi habet, & imaginem & animam similitudinem Dei. De his omnibus dicit: *Vixerunt & regnaverunt cum Christo mille annos*. Recte dixit omnes, quia & Sancti viventes, & animæ occisorum Sanctorum regnant cum Domino & hic & in futuro. Sed quia *regnauerunt* dixit; hoc profecto intellige, quod quasi jam factum est quod futurum erit, quia ante Deum nihil novum est. Sic enim antequam Christus veniret in mundum, dictum est: *Diviserunt vestimenta mea*. Nam quod dicit *regnabunt*, & hic quasi factum possumus intelligere; acsi diceret: jam baptizati sunt, jam pœnitentes sunt, jam non in lacte, sed in solido cibo Christum secuntur in passione. Nam dicturus est *regnabunt*, ut ostenderet qui

*Psal. 21.
v. 19.*

sunt isti mille anni : *hæc est* , inquit , *resurrectio prima* , utique , quia resurgimus per baptismum : & , ut pœnitentiam ostenderet post baptismum , sicut Apostolus ait : *Si surrexistis cum Christo , quæ sursum sunt quærite* . Et iterum : *Tamquam ex mortuis viventes* : peccatum enim mors est : sicut idem dicit Apostolus : *Cum essetis mortui delictis & peccatis vestris* . *Beatus & Sanctus qui habet partem in resurrectione prima* : Qui servaverit baptismum in quo renatus est . Sicut ergo prima mors in hac est vita per peccata , ita & prima resurrectio in hac est vita per remissionem peccatorum . *In eis secunda mors non habebit potestatem* : id est , non habebit æterna tormenta . *Sed erunt Sacerdotes Dei & Christi ejus , & regnabunt cum eo mille annos* . Hos mille annos de hoc mundo dixit , non de perpetuo sæculo , ubi sine fine cum Christo regnaturi erunt . Mille enim perfectus numerus est , & quamquam perfectus numerus dicatur , sed finem habere creditur . Retulit spiritus cum hæc scribere regnaturam Ecclesiam mille annos , id est , usque ad finem istius mundi . *Explicit explanatio* .

INCIPIT DE SOLUTIONE DIABOLI

& de custodia sua.

Cap. XX.
v. 7. **E**T cum finiti fuerint mille anni , solvetur Sathanas de custodia sua , & exiet seducere gentes , quæ sunt in quatuor angulos terræ , Gog , & Magog , & congregabit eos in prælium , quorum est numerus sicut arena maris . Et ascenderunt in altitudinem terræ , & circumdederunt castra Sanctorum , & dilectam civitatem . *Explicit historia* .

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET cum finiti fuerint mille anni, solvetur Satanas de custodia sua. Finitos dixit, à toto partem: nam non specialiter annos dixit per numerum mille finitos: nam sic solvetur Satanas totis viribus cum in illo suo vase Antichristo intraverit, ut supersint anni tres, & menses sex novissimi certaminis. Sed præter hunc tropum, recte & certissime dicitur finitum tempus: non enim computandæ sunt tam parvæ reliquiæ Sanctorum, qui in Scripturis Sanctis trecenti nuncupantur, qui in Græca Tau littera continentur: qui solum ipsi sunt, quos Antichristus superare non poterit, qui recte Trinitatem Sanctam unum Deum crediderint, & novissimo tempore filium Dei de gloriosissima semper Virgine natum puro corde coram hominibus confessi fuerint, & crucem ejus, per quam Tau litteram significari diximus, recto intentionis oculo intuiti fuerint. Sic enim Gedeon cum trecentis viris Madianitas, qui nunc dæmones nuncupantur, superavit: trecenti enim crucem significant. Et nota quantum pauci sint Sancti in tempore Antichristi, cum Deus voluerit eos anni horam appellare. Annus habet menses duodecim, tempora quatuor (id est, ver, æstas, autumnus, & hyems) dies trecentos sexaginta quinque, quorum horas habet quatuor millia trecentas octuaginta tres. (1) Vide quod dicit: de tantis horis anni una hora solum appellati sunt sancti: & remanent horæ, quæ peccatores nuncupantur, quatuor mille trecentæ

OC-

(1) Si duodecim sunt horæ diei, & anni dies 365, horas tantum 4380. subduces.

Joan. 11.
v. 9.

Luc. 12.

octuaginta duæ. Cognosce quantum distat inter hunc & illum numerum. Dies habet horas duodecim : de duodecim horis diei una hora appellati sunt Sancti, & remanent de toto anni circulo dies CCC. LX. III. & horæ diei undecim, quæ in parte peccatorum scribuntur. Ita intelligas per hunc tropum quantum parvus sit ille grex, cui compromisit Dominus dare hereditatem in regno cælorum. Et per hunc annum & unam horam anni sic cognosce esse peccatores & justos omne tempus, id est, ab initio mundi usque in finem, quo hæc gesta erunt, quando totis viribus diabolus solutus erit, & aperte contra Ecclesiam dimicaturus; & quis qualis antea in Ecclesia fuit in pace, in illa manifestabitur pugna : & eos tunc sibi socios facit per notam, quos antea per vitia tenuit in vita, sicut dicit : *Et exiet seducere nationes, quæ sunt in quatuor angulos terræ, Gog, & Magog.* Seducere hic dixit, quod est dissipare, & secum in perditionem adtrahere; id est, omnes impios quos inter angulos terræ seduxit, una secum in perditionem collectos æternis faciet mancipari suppliciiis. Gog enim interpretatur tectum : Magog de dogmate sive de tecto. Omnes quos extulit, in superbiæ suæ lapsum adduxit vel elationis tecto sublevavit, sive qui cogniti fuerint de eodem dogmate & fastigio elationis ejus exisse : hos una simul perditio, & æternus ignis accipiet. Quod verò dicit *congregabit eos in prælium*, futurum pro præterito describit, quia *congregabit* quasi præteritum sonat : quia prælium quodammodo est quando his qui moribus bonis vivunt, mali eis obviant & insidiantur. Et quia multa malorum est numerositas, quæ numerari præ multitudine non potest, adjecit : *Quorum est numerus sicut arena maris. Et ascenderunt in*

*altitudinem terræ , & circumdederunt castra Sancto-
rum , & dilectam civitatem.* Elevati in superbia impii
in altitudinem ascenderunt : sed terrena eos altitudo
retentat , nihil cæleste sapiunt. Nullam cælestis altitu-
dinis potentiam metiuntur. *Circumdederunt castra Sanc-
torum ;* quia communes volunt existere Sanctis. Sed
de ipsis impletur vaticinium Prophetæ dicentis : *Con-vertantur ad vesperam , & famem patiantur ut ca-
nes , & circuibunt civitatem ,* id est , Ecclesiam , quam
hic dilectam vocat. Congregati dicuntur , sed in ipsis
quatuor angulis terræ erunt dilatati. Pro qua re dicun-
tur congregati , id est , in superbia tota mentis inten-
tione adversus Ecclesiam , eo quod unaquæque gens
congregabitur in obsidione Sanctæ civitatis Ecclesiæ,
quando Antichristus de decem cornibus bestię tria era-
dicaverit : id est , tria regna contriverit , hoc est , Re-
gem Ægypti , & Regem Æthiopię , & Regem Libyæ ,
id est , Africæ. Ceteros septem Reges suæ potestati
subjugabit , & cum eis omnem mundum exterminatu-
rus est. Ut sicut post passionem Domini nostri Jesu
Christi cognoscimus omnia martyria terræ facta per
decem Reges , id est , Neronem , Domitianum , Tra-
janum , Severum , Maximinum , Decium , Valerianum ,
Aurelianum , Diocletianum , & Maximianum , qui sunt
decem cornua bestię , & ex his decem illos majores
septem , quos supra septem capita nominavimus , ita
ut credamus Antichristum inter decem Reges quales
& illi fuerunt , in regno Romano ; ita in finem in reg-
no Romano inter decem Antichristus erit undecimus ,
& tribus quos diximus occisis in toto orbe terrarum
cum septem erit regnaturus : & ipse erit octavus , quem
supra in bestia in septem capita octavum diximus qua-
si occisum , quem semper in Ecclesia per suos pseu-
do-

*Psal. 58.
v. 7.*

doprophetas sub nomine Christi caput habuit occultum. Per quod caput simulavit se asserere Christum, per cujus nomen Sanctos sibi facit socios : & tanta erit indignatio, ut porro pauci Sancti eum cognoscant esse Antichristum. Sed tamen non in alio eum cognoscent, quam in facienda circumcissione. Quia primitus Sanctos non ad idola colenda provocabit, sed per legem Moysaycam ad observandam circumcisionem : & tantam sanctitatem simulabit, ut non sit potator vini, non amator mulierum, non divitias sæculi hujus habebit. Sed omnia deceptis dabit, sicut in Evangelio ex voce

Luc. 4. v. 6. ipsius Antichristi dicitur: Mea sunt omnia, & cui vo-
Cap. 12. luerō do illa. Tunc quinque in domo una dividuntur;
v. 52. id est, pater, mater, filius, filia, & nurus. Quinque

sunt quos persecutio dividet, dum alii in Christum credunt, alii negatores existunt, quia cum Antichristus venerit, veteris legis duas tabulas Testamenti prædicabit : Christus autem Trinitatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Alii autem credituri sunt Antichristo, alii Christo. Et sic dividuntur duo à tribus, & tres à duobus ; & inimici hominis domestici ejus. Persecuturi sunt, ut Antichristo credant, dum dicit pater filio, aut filius patri: Rogo te miserere tibi, ne moriaris: consenti illi, adora eum, præsertim cum scias, quæ sunt in mundo ipsius esse, & cui voluerit det illa. Ad hoc ergo unusquisque affectibus suis adquiescit. Inimicum eum patitur, dum persuasionibus suis à Christo separatur, ut consentiant Antichristo. Tunc complebitur quod

Matth. 10. v. 36.

Cap. 24. v. 16. Dominus dixit: Qui in Judæa sunt, fugiant in monti-
bus, id est, quotquot in Judæa fuerint, collecti erunt
ad illum locum, quem præparatum habent, ut nutrian-
tur ibi triennium & menses sex à facie diaboli. Eccle-
siam illam dicit Catholicam, ex qua in novissimo tem-

pore credituri sunt centum quadraginta quatuor mille per prædicationem Eliæ. Sed ceterum populum vivum inveniri in adventum Domini : Sancti verò pauci, excepta Arabia, de manu ejus salvabuntur ; ubi est Edon, & Moab, & principium filiorum Ammon, id est, Idumæi, Moabitæ, & Ammonitæ. Eo quod loca sint ibi inaccessibilia, ibi Sancti confugient, & ibi latitabunt, quos Christus in carne vivos invenerit. Et non solum in Arabia, quia & alibi adinstar istorum Sanctorum ubique loca inaccessibilia sunt & ubique Sancti : & non solum mente fugituri erunt à malis, sed etiam corpore inaccessibilibus rupibus migraturi. Sicuti enim tempore Martyrum multos patres ab hac tutatione credimus esse salvatos, ita creduntur tempore Antichristi per loca inaccessibilia multi esse salvandi. Hæc Antiochum, qui præfiguravit Antichristum, pene cuncta fecisse legimus, quæ Antichristus factururus est, sicut dicitur in Daniele, quod Sancti eo tempore *sublevabuntur auxilio parvulo*. Parvum auxilium nostri intelligi volunt, quia congregati Sancti resistent ei, & utentur auxilio parvulo, & postea *de eruditis corruent plurimi*, & hoc fiet ut quasi in fornace conflentur, & eligantur, & dealbentur, *donec veniat tempus definitum* ; quia vera victoria in adventu Christi erit. Item in Daniele : *Tempus, tempora, & dimidium temporis*, tres & semis anni sunt de Antichristi regno. Item *septem tempora mutabuntur super te* ; id est, septem anni. Item *à tempore cum ablatum fuerit jube sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta* : dies isti mille ducenti LXXXX. tres & semis anni sunt, quibus erit Antichristus regnaturus. Item in Daniele : *Beatus qui expectat, & pervenit ad dies mille trecentos XXX quinque* : quia hos dies habet in

Dan. 11.
v. 34.

Cap. 12.
v. 7.

Cap. 4.
v. 22.
Cap. 12.
v. 11.

Ib. v. 12.

suo nomine deputatos, & quia, quod absit, si totos hos dies implesset in regno, nullus Sanctorum ei effugere potuisset vivus. Sed de istis mille trecentis triginta quinque diebus, tuitos habebit XLV dies, & remanent ei in regno dies mille ducenti nonaginta. Qui dies propter electos abbreviabuntur: de quo Dominus in Evangelio dixit: *Et nisi breviati fuissent dies illi,* *Matth.*
24.v.22. non fieret salva omnis caro: sed propter electos meos abbreviabuntur dies illi. Isti sunt electi Domini, pro quibus dies illi abbreviabuntur, qui tunc ante eum fugientes, latibulum tenuerint. Nam Antichristus expletis diebus mille ducentis LXXXX. occidetur in monte sancto, id est, in monte Oliveti. Quod autem dicit: *Beatus qui expectat, & pervenit ad dies mille trecentos XXX quinque;* id est: Beatus qui, interfecto Antichristo, dies XLV. super numerum præfinitum expectat, quibus est Dominus atque Salvator in sua majestate venturus, ut in carne Christus eum inveniat vivum. Regnum Romanorum in fine destruendum, cujus in quarto Regno pedes nominavit ut ferrum. *Explicit explanatio.*

INCIPIT DE DIABOLO ET BESTIA, & pseudopropheta.

Cap. XX. **E**T descendit ignis à Deo de cælo, & comedit
 v. 9. "inimicos suos: & diabolus seducens eos missus
 "est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia &
 "pseudopropheta punientur die ac nocte in sæcula sæ-
 "culorum." *Explicit historia.*

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET descendit ignis à Deo de cælo; id est, de Ecclesia descendit ignis, & comedit eos. Iste ignis, quem ex ore testium dixit exire, id est, lex & Evangelium, de quo Dominus dixit: *Numquid ego vos judicabo? Sed verbum quod vobis loquutus sum, ipsum vos judicabit.* Iste est ignis, quem pluit Dominus de cælo à Domino exeunte Lot de Sodomis. *Et comedit inimicos suos.* Nam novissimo die non super eos pluet ignem, sed congregatos ante se, & judicatos, mittet in ignem æternum. Hic ignis descendens de cælo, quem dicit, tempore erit Antichristi, quòd persequendo Ecclesiam, plus judicio damnentur de ipsis malis quæ Ecclesiæ inrogant. *Et diabolus seducens eos missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta.* Subtiliter turbavit intellectum, quo putetur diabolus post bestiam, & pseudoprophetam, quos supra solos dixerat damnatos, mitti in stagnum ignis, revera post mille annos damnationis bestię & pseudoprophetę. Sed omnis bestię & integrę dixit post mille annos, quia non post damnationem partis: quia quando Christus venerit ad judicium, hanc bestiam inveniet vivam. Ex quo enim passus est Dominus, moritur bestia, & pseudopropheta, & in ignem mittitur usquedum finiantur mille anni, usque ad adventum Domini. Nota quid dixit unde subtiliter turbaverat intellectum. Certe quia dixerat supra, *diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, ubi bestia & pseudopropheta;* tamquam si diceret primitus bestiam & pseudoprophetam mitti in gehennam, & postea diabolum qui seducebat eos; inde turbaverat intellectum. Hęc missio à pri-

Joan. 12.
v. 48.

XX. q. 2.
11. 7

primo adventu Domini est usque ad secundum adventum, qua primitus bestia & pseudopropheta, quia semper moritur malus populus & mali Sacerdotes, qui sunt bestia & pseudopropheta, & diabolus semper seducit: deinde & ipse punietur ubi & omnes quos præmittit. Sed tempus quod est à passione Domini & infra, nunc ipsum describit: quia ex quo Christus venit, usque hodie, missa est bestia in ignem: & postquam compleverit diabolus tempus suum, qui seducebat eos, mittetur in stagnum ignis & sulphuris, *ubi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die & nocte in sæcula sæculorum.* Hæc est illa solutio quam supra dixit: *Post hæc oportet illum solvi modico tempore.* Modico tempore pro annis tribus, & mensibus sex ponit, ut in sua seductione seductor cum seductis intereat. *Explicit liber XI.*

INCIPIT LIBER DUODECIMUS

DE DIE JUDICII ET CIVITATE JERUSALEM.

Cap. XX.
v. II.

“**E**T vidi thronum magnum, & candidum, & sedentem super eum, cujus à facie fugit terra & cælum, & locus non est inventus eis. Et vidi mortuos magnos, & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ: & judicati sunt mortui ex his quæ scripta sunt in libris, secundum opera sua. Et dedit mare mortuos suos, & mors, & infernus dederunt mortuos suos: & mors & infernus missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.”

EX-

EXPLANATIO SUPRASCRIPTÆ HISTORIÆ.

ET recapitulat, idem iudicium dicturus. *Et vidi thronum magnum, album, & candidum, & sedentem super eum, ante cuius conspectum fugit terra, & cælum, & locus non est inventus eis. Et vidi mortuos magnos, & pusillos, stantes in conspectu throni: & libri aperti sunt: & alius liber apertus est qui est vitæ.* In throno iudicii figura est: in candore justitia est: & sedentem super eum iudicem recognosce Dominum nostrum Jesum Christum, à cuius conspectu fugit terra, & cælum. Neque enim tantæ potestatis iudicium sustinere prævalent elementa. *Et locus non est inventus eis.* Nullus enim locus in loco ante Deum, sed tamquam nihilum & inania reputata sunt ei. Sic ostensa forma iudicii, iudicantis qualitate disposita, iudicium ipsum agitari jam dicit: *Vidi mortuos magnos, & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt.* Quis est apud Deum liber, nisi quia iudicantis virtute singulorum opera declarantur? Hos libros nunc Testamenta Dei dicit, id est, legem & Evangelium: secundum enim utrumque iudicabitur Ecclesia. Heu, & vae, qui nunc libros requirere nolunt. Et qui, quod in eos gestum erit in futuro, hic inepte despiciunt, illic per libros acrius requirentur. Sancti verò, qui per hæc Testamenta in hoc mundo vivere disposuerunt, eis in iudicio necesse non habebunt: quia cum fuerint cum Christo, cessabit scriptura: & illi per scripturam iudicantur, qui eas nunc abusive requirunt. *Et alius liber apertus est, qui est vitæ.* Liber vitæ, & vita, Dominus Jesus Christus est. Tunc aperietur, & os-
Mm ten-

tendetur universæ creaturæ suæ, cum reddiderit unicuique secundum opera sua. *Et judicati sunt mortui, ex his quæ scripta sunt in libris, secundum opera sua*; id est, per legem & Evangelium judicati sunt, secundum quod ex eis fecerunt, aut non fecerunt. *Se-*
mel, inquit, locutus est Deus: duo hæc audiui. Quæ
duo clarius manifestat, dicens: Domini est regnum,
& ipse dominabitur gentibus. Audivit David regnum: Joannes verò librum aspexit. David duo audiuit: Joannes autem duos intuetur libros, & in duobus quid contineatur, David dicit: *Potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Potestas in judicando est: misericordia verò in remunerando. Joannes dicit: *Et judicati sunt mortui ex his quæ erant scripta in libris, secundum opera eorum.* David dicit: *Quia tu reddes singulis secundum opera eorum.* Quanta similitudine dictum est, quantum à veritate Sanctus iste Joannes non fugit, sapienter unusquisque discutiat & consideret. *Et dedit mare mortuos suos.* Mare spiritualiter mundus iste intelligitur. Gentes quas Christus in hoc mundo ad judicium invenerit vivas, ipsi sunt mortui maris. Sive & simpliciter, secundum litteram, istud mare possumus hoc loco intelligere, ut & ipsos in diem judicii restituat, quos necavit. *Et mors, & infernus dederunt mortuos suos.* Ipsæ sunt gentes sepultæ, quæ tunc in momento & in ictu oculi in ipsa carne, qua in hoc mundo vixerunt, ex ipso pulvere resurrecturi erunt. Ne quis diceret consumptos pelago, & opertos aquis, bestiis devoratos, igni perditos, non posse resurgere; ideo dedisse mare mortuos suos dicit. Et quia nullus effugiet judicium Dei, adjecit: *Et mors, & infernus, missi sunt in stagnum ignis.* Hæc est mors secunda. *Qui non est inventus in libro vi-*
tæ

tæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Explicit.

INCIPIT DE JERUSALEM CIVITATE,
in quo finit liber duodecimus.

Cap. XXI
ET vidi cælum novum, & terram novam. Pri-
 mum enim cælum, & prima terra, abierunt,
 & mare jam non est. Et civitatem sanctam Jerusalem
 novam vidi descendentem de cælo à Deo, compo-
 sitam sicut sponsam adornatam viro suo. Et audi-
 vi vocem magnam de cælo dicentem: Ecce tabernacu-
 lum Dei cum hominibus, & habitabit cum ipsis. Et
 ipsi erunt populus ejus, & ipse Deus cum eis erit
 eorum Deus, & absterget omnem lacrymam ab ocu-
 lis eorum: Et mors non erit ultra neque luctus, ne-
 que dolor erit amplius, neque clamor: quæ prima
 fuerunt, transierunt. Et dixit sedens super thronum:
 Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quo-
 niam sermones isti fideles & veri sunt. Et dixit mihi:
 Factum est: Ego sum alpha & omega, initium & fi-
 nis. Ego sitienti dabo aquam ex fonte vitæ gratis.
 Qui vincit possidebit hæc, & ero ejus Deus, & erit
 meus filius. Timidis autem & incredulis, & execrabi-
 libus, & homicidis, & veneficis, & idolorum cultori-
 bus, & omnibus mendacibus pars erit in stagno ar-
 denti igne & sulphure, quod est mors secunda. Et
 venit unus ex septem Angelis habentibus phialas ple-
 nas septem plagarum novissimarum, & locutus est
 mecum, dicens: Veni ostendam tibi sponsam uxo-
 rem Agni. Et substulit me in spiritu super montem
 altum & magnum, & ostendit mihi civitatem sanctam
 Jerusalem descendentem de cælo à Deo. Luminare ejus
 simile lapidi pretiosissimo, sicut lapidi in modum

„crystalli. [Et habebat murum magnum & altum] ha-
 „bentem portas XII: & super portas angulos XII. &
 „nomina superscripta, quæ sunt nomina XII Tribuum
 „Israel. Ab Oriente portæ tres: ab Aquilone portæ tres:
 „ab Austro portæ tres: ab Occidente portæ tres. Et
 „murus civitatis habens fundamenta XII. & super ea
 „XII nomina Apostolorum Agni. Et qui loquebatur
 „mecum habebat mensuram arundineam auream, ut
 „mensuraret civitatem, & portas ejus, & murum ejus:
 „& civitas in quadra posita est, & longitudo ejus quan-
 „ta & latitudo: & mensus est civitatem stadiorum
 „XII. (1) Longitudo & latitudo ejus æquales sunt. Et
 „erunt in structura muri ejus jaspides: ipsa verò civitas
 „aurum mundum, simile vitro mundo. Et mensus est
 „murus ejus CXL quatuor cubitorum, mensura ho-
 „minis, quæ est Angeli. Fundamenta civitatis auri om-
 „ni lapide pretioso. Fundamentum primum jaspis,
 „2. sapphirus, 3. carcedon, 4. smaragdinum, 5. sardo-
 „nix, 6. sardinum, 7. chrysolitus, 8. beryllus, 9. to-
 „pazion, 10. chrysophrasinum, 11. hyacinthinum, 12.
 „amethystinum. Et XII portæ XII margaritæ singilla-
 „tim: & unaquæque porta erat ex una margarita: &
 „platea civitatis aurum mundum, vitrum perspicuum.
 „Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus om-
 „nipotens templum ejus est & Agnus. Et civitas non
 „indiget Sole, neque Luna, ut luceat ei. Et ambula-
 „bunt gentes per lumen ejus usque in finem. Et Re-
 „ges terræ afferent gloriam suam in ea. Et portæ ejus
 „non claudentur die, & nox ibi non erit: & inferent
 „gloriam & honorem gentium in ea. Et non intrat om-
 „ne immundum in ea, & faciens abominationem &

(1) *Versio Italica, & Vulgata*, duodecim millia.